



MERCVRIVS

Commentarii periodici quarto quoque mense editi
de vita et studiis apud *Vivarium novum*

Romae, Kalendis Februariis anno MMXI



In memoriam Orbergii - Annales Academiae

De nostra bibliotheca - De Latinitatis fortuna in Ecclesia - De ratione carmina legendi

ACCADEMIA
VIVARIUMNOVUM

profusum sapientiae semen iustitiae alere flamma

PRAEFATIO

IN HOC FASCICVLO SVNT

Litterae ex praeside	2
In memoriam Orbergii	3
Orbergio sacrum	5
Annales Academiae	8
Annus academicus MMX-MMXI	12
Libri a nobis editi et vulgati	13
Libri quibus operam dedimus	15
De pellicula in honorem Orbergii confecta	17
Studia quae nobis in manibus sunt	18
De conventu c. n. Monumenta viaeque	23
Semper aucta at semper egena	27
Quomodo versibus Latinis vita infundi possit	30
De ramis cadunt folia	33
Existimationes librorum	37



*adeas identidem nostram
sedem retialem,
cui quidem crebrius
nova addere studemus*

www.vivariumnovum.net

ACCADEMIA
VIVARIUMNOVUM

profusum sapientiae semen iustitiae alere flamma

*Via Corrado Barbagallo 20 - 00166, Roma
Tel. 06 66 58 98 33; Telisogr. 06 61 00 72 66*

Saepe nobis cogitantibus de amicis et fautoribus ex toto terrarum orbe adeundis nostraeque Academiae artiore quodam vinculo coniungendis id sese obtulit consilii, ut commentaria quaedam periodica evulgaremus quibus ea, quae in Vivario novo per totum anni spatium aguntur, hominibus, qui extra nostros terminos versantur, magis magisque in dies essent comperta et explorata. Quod quidem inceptum cum satis diu perennare sivissemus, nuper demum tractandum suscepimus et ad effectum tandem aliquando perducendum. Occasionem igitur nacti quam maxime opportunam, finem videlicet anni MMX et initium praecipue huius, qui a Virgineo partu MMXI est adnumerandus, pagellas hasce typis curavimus edendas, salutem imprimis et omnia fausta quae ipsi exoptetis, vobis imprecandi impertiendique gratia.

Rerum praeterea quae anno nuper elapso peractae sunt quasi memoriam, uti diximus, breviter decrevimus complecti, quarum recordationem nonnihil prodesse existimamus tum nostris ipsorum animi viribus confirmandis roborandisque, tum novis consiliis capiendis atque ineundis tempore proxime venturo. Ex quibus omnibus, hoc unum prae primis nobis est commemorandum, flebilis prorsus et lugendus Iohannis Orbergii obitus, viri optime de re litteraria meriti, cuius vita omnis, vel extremis temporibus, summa constantia acta, eximium sane et praeclarum praebet nobis tam laboris quam humanitatis exemplum. Quem ut digno modo neque aridis dumtaxat atque ieiunis elogiis coleremus, conventum proxima aestate Romae instruximus de studio hinc Graeci Latinique sermonis, illinc auctorum qui suis operibus cultum et humanitatem nostram non mediocriter provexerunt.

Sed alia insuper reliquum per annum apud nos agitata sunt, quorum quoque meminisse, sine ulla dubitatione, iuvabit. Habetis igitur iam causas quae nos impulerint ad hoc, quidquid est operis, patrandum; nunc vero ipsum opusculum habetote, quod vestrae benevolentiae, haud diffidentes tantorum virorum fore nobis praesidium, summis precibus etiam atque etiam commendamus.

LITTERAE EX PRAESIDE

Praeses lectori benevolo s.p.d.

Alipes quidam ac petasatus iuuenis, specie admodum decora, cum forte Academiam nostram inviseret, num quid nuntiorum haberemus, quod ipse ad amicos, ad fautores nostros afferret, rogavit. Stupuimus primum; tum "Iovis iussu venio: nomen Mercurio est mihi; visum est enim superis indignum, quod, cum tam magnam hac in Academia ac strenue navetis operam, nihil fere laborum vestrorum ad omnium aures perveniat eorum, qui e longinquo vos studio et benevolentia multis variisque modis prosequuntur. Tradite igitur mihi litteras, libellos, quidquid habetis, quibus breviter, sed aperte, sed dilucide id appareat, quod ex vestra navitate boni humanitati fovendae provenire soleat. Cavete tamen ne nugas meras mihi committatis nuntiandas: non enim ex omni ligno, ut ait Pythagoras, debet *Mercurius* exsculpi."

Magna inde secuta est animorum perturbatio: "Quid dignum tanto nuntio tradamus?" secum immurmurabant iuvenes; alii igitur in sua cucurrerunt cubicula, inde symbolam quantum poterant sapidam apportaturi suam; alii ad bibliothecam festinarunt, ut aliquid expiscarentur et e librorum carceribus eruerent, quod sacrum illi deo amicisque tradendum offerrent; alii vero, inter sese diu disputantes, quasi memoria repetiverunt litterisque, brevi materiem perstringentes et copiam rerum uberrimam, omnia, quae sive laeta sive maerenda hoc proxime praeterito anno facta sunt, mandare temptaverunt. Ex hoc ferventi opere, dicto citius, lepidus hic libellus, arida pumice vix expolitus, e discipulorum magistrorumque manibus, qui in *Vivario novo* sunt, prodiit; quem arreptum *Mercurius* ille, omni caligine nubiumque obice suae paciferae virgulae ope dissipata, continuo in solem lucemque protulit; tibi, candide lector, qui nos tam benignis animi sensibus praeter longe merita nostra semper dilexisti, ingenue eius aligeri nuntii auxilio praebemus, id unum orans, ut, sicut antea amasti, amare pergas.

Dedi Romae, die XXVIII mensis Ianuarii, a. MMXI



IN MEMORIAM ORBERGII

scripsit Alexis Hellmer



Iohannes Orbergius (Danorum vulgo *Hans Henning Orberg*) natus Grenae die XXI mensis Aprilis anno MCMXX, de vita excessit ante hos undecim menses. Anno fere peracto ex eius decessu, discipuli et magistri *Vivarii novi* eius memoriam colere pergunt.

Dies mensis Februarii XVII anni nuper peracti in perpetuam memoriam nigro est calculo signandus, cuius rei causam prope neminem, qui litteris humanioribus det operam, ignorare arbitramur. At obitus Iohannis Orbergii, magistri omnium qui in *Vivario novo* umquam vitam degerunt, non tam inani maestitia quam honesta recordatione videtur tolerandus. Annus enim est fere ex quo praeceptor ille nobilissimus e mortali hac vita decessit, et tamen nullo prorsus modo omnis terrenas plagas reliquit sed vivus inter nos, qui cottidie eius opera adhibere solemus, habitat, loquitur, et nullo non tempore mirabili facilitate ac lenitudine docet.

Etenim, quamquam nominis similitudo in errorem possit inducere quempiam, ipsa rei veritas ostendit nihil aliud commune inter Orbilium plagosum et comitem Orbergium exstitisse, quin immo fuisse illos toto caelo diversos. Quod quidem omnes, cum magistri, tum discipuli, qui rationes eius docendi umquam sunt experti, ingenue confitentur. An non vidimus plurimos adulescentes dum paginas evolvunt illius libri, cui index est Familia Romana, eximie delectari? Qui quidem saepissime, taediosis libris procul abiectis, omnem de lingua Latina percipienda spem deposuerant, inani nempe et sterili rerum grammaticarum repetitione perterriti. At quanta autem dulcedine capti paginas legant quae e calamo profluxere Montaurii (hoc enim modo ipse suum nomen scribere malebat), ex iisque solidam et firmam Romani sermonis notitiam sibi comparent, difficile est verbis enarrare.

Quam ob rem, si quis historiam humanitatis et cultus Latini saeculi nostri exarare cupiat, ille debeat partem arti docendi dedicare, in qua methodo, quae iam inter omnes Orbergiana vocatur, merita laudes tribuantur. Nam, quod attinet ad elementa Latinitatis docenda, quid discriminis sit inter Iohannem Orbergium et bonarum litterarum restitutores, qui saeculo XVI floruerunt, satis perspicere non valemus; quandoquidem hi et ille nihil aliud sibi proposuerunt, quam ut faciliorem

MERCVRIVS

viam ostenderent volentibus legere et intellegere Latine, omnibus quaestionibus omissis quae solum ad philologorum disciplinam pertinere videntur, et tam peritissimos delectant quam ceteris, et imprimis iuuenibus, obstaculo potius sunt et gravi impedimento.

Quod si nullis litterarum testimoniis probari posset, si nulla essent rei didascalicae documenta, quae huius methodi praestantiam summa vi summaque fide demonstrarent, attamen non hac de causa ratio docendi ab Orbergio nobis tradita minus veritate fulta esse videretur. At sunt, sunt, inquam, solidissima multorum saeculorum indicia, est prudentia antiquorum, est recentiorum sensus communis, quae omnia causam sustinent Orbergii atque defendunt. Et fremant cuncti licet qui omnibus nervis id pertinaciter contendunt, esse linguam

Latinam ratione tantummodo grammatica, immo philologa tradendam; ego dicam quod sentio: bibliothecae mehercle omnium philologorum, quamvis utiles, vix possunt allicere iuvenes ad humanitatis studium. Quibus monstrandae et patefaciendae sunt viae ad puriores doctrinarum fontes, non certe maioribus semper periculis obstruendae: in hoc quidem maxima est docendi laus, in hoc sane Orbergius ceteros longe superavit, in hoc denique nobis est summa ope elaborandum quo exemplum eius adamussim assequamur.

Id si effecerimus, te, Montaurii, qui nunc, nisi me nimium fallit animus, nostra conamina spectas de excelso et pleno stellarum, illustri et claro quodam loco, non verbis modo sed reapse, non chartis sed opere, non otio sed vita celebrare videbimur.



De vitis cogitantem, subit quaedam admiratio, tempora ista nostra haud nosse bona sua; cum tam rara sit commemoratio et conscriptio vitarum, eorum qui nostro saeculo claruerunt. non defuerunt viri egregii qui meliora merentur quam incertam et vagam memoriae suae famam, aut elogia arida et ieiuna.


Franciscus de Verulamio

ORBERGIO SACRUM

scripsit Aloisius Miraglia

"Quid hoc rei est?" me ipse interrogavi, cum primum in manus quattuor suscepi libellos, integumento pulla tela operto contactos, quibus omnino Latine lingua Latina discipulis tradenda singulis suis partibus illustrabatur. Curiose illorum voluminum paginas imaginibus ornatas versabam; ipse adulescentulus Romanorum sermonem non arida tantum grammaticorum doctrina, sed etiam vivis atque vitalibus, ut ita dicam, exercitationibus usus a docto et prudenti magistro propositis didiceram; ea, quae obscura et tetrica mihi in scholis litteris operam danti visa erant, per illa iucunda et facilia progymnasmata quasi miraculo quodam non modo dilucida et perspicua, at lepida, at pulchra, at delectabilia efficiebantur. Iampridem igitur speraveram me aliquando inventurum viam rationemque docendi, quae iisdem fere inniteretur fundamentis, quibus ipse eram usus et expertus in linguis et Latina et Graeca discendis; quae scilicet posset brevi, expedite et non sine gaudio discipulos cum ad sermonis pulchritudinem, tum etiam ad scriptorum opera rimanda, perscrutanda, penitus intelligenda perducere; quod quidem faceret usu potius quam praeceptis, verba coniungendo cum rebus, adhibitisque colloquiis, luculentis quibusdam narrationibus, lusibus, fabulisque scaenicis. Frustra quaesiveram, neque tamen quidquam inveneram; libri et libelli, quorum auctores hanc viam ingressi esse videbantur, medio in itinere miserum deserebant discipulum, et post multas celebres tutasque urbes peragratas ac faciles latasque vias iucunde emensas, eum in mediis silvis, ubi sunt ipsi leones, omni auxilio destitutum relinquebant.

Opus vero, quod prae manibus tenebam, tale apparebat, quale identidem somniaveram. A minimis incipiens narratiunculis atque puerilibus fabellis in maxima litterarum opera, Livii dico, Sallustii, Ciceronis, celeri gradu prodibat; verba sive singula sive coniuncta omnesque grammaticae partes nonnisi Latine explanabat aperiebatque; proponebat discipulis sententias hic illic mancas et terminationibus et vocabulis complendas; ad Latine interrogata erat Latine respondendum; novae voces saepe pulchris simplicibusque imaginibus propositis apertissime



declarabantur, quibus adhibitis vel facilius discentis memoriae infigi poterant. Videram etiam in ipso integumento praefationes, quas postea comperi laudibus refertissimas, a praeclaris conscriptas esse philologis linguaeque cultoribus, quales fuerunt Iacobus Devoto, Scevola Mariotti, Aemilius Springhetti, Carolus Jax, Henricus Zilliacus, Dag Norberg, nonnullique alii. Ne multus sim, omnia conspirare et convenire videbantur, ut optimam illam docendi viam ducerem et haberem. Illud unum me sollicitum ac suspensum tenebat: opus esse satis vetustum; liber enim, quem manibus tractabam, anno MCMLIV erat in lucem datus. Num igitur possem exemplaria invenire quae discipulis traderentur, valde equidem dubitabam. Utut est, in sinu gaudebam, cum fere pro certo haberem me thesaurum iam pridem quaesitum tandem reperisse. Volvebatur tunc annus MCMXC, vitae meae quintus et vicesimus.

Biennio post Novum Eboracum, in Foederatas Americae Spetentrionalis Civitates, invitatus sum, ut acroasin de viis rationibusque sermonem Latinum docendi inter conventum linguis tradendis deputatum facerem. In deversorii Hiltoniani pedeplanis, ubi maximus ille conventus celebrabatur, variae mensae erant ab editoribus propositae, in quibus libri didascalici exhibebantur. Dum varia oculis lustro, subito liber rubro colore animum allexit meum. Volumen in manus sumptum pervolutavi: idem omnino erat, quod alia forma, alio indice insignitum in Italia videram duobus ante annis; "Lingua Latina iuxta naturae rationem explicata" ille, "Lingua Latina per se illustrata" hic inscribatur; at, excepto titulo, omnia cetera congruebant. Interrogavi feminam, quae erat domus editoriae legata; accepi librum etiam tum venalem proponi; scriptorem vita frui et bene valere in Dania, ubi habitaret.

Cum primum sum ad domesticos Lares reversus, statim illum tam praestantium librorum auctorem reperire sum conatus. At eo tempore (anno scilicet MCMXCII) nondum tam creber erat retis universalis usus; immo, quamvis hodie prisca et fera ea aetas videatur,

qua canerent Fauni vatesque, sunt adhuc qui memoria teneant tunc temporis -nondum viginti anni inde fluxere!- admodum paucos, immo fere neminem domi nexum ad telam totius orbis habuisse. Necesse igitur fuit per societates quasdam telephonicas numerum invenire, quo usus Montaurium adire possem; neque domesticum et privatum expiscari potui: oportuit ergo professores compellere, qui in




Hauniensi Studiorum Universitate operam navabant. Unus ex iis, ceteris humanior, comiter mecum colloqui per aliquantulum temporis spatium non est dedignatus; qui quidem forte Montaurium probe noverat, cuius indicia mihi tradidit ut, si vellem, sive per telephorum sive per litteras adire possem. Continuo numerorum seriem composui, ut recta cum librorum auctore sermones caedere liceret. Qui quidem ipse respondit: "*Ja, Orberg!*" Eius voce audita, statim interrogavi: "Licetne Latine loqui?" Paululum miratus, non negavit tamen, et "Sane quidem: etsi mihi non saepe datur occasio hac lingua loquendi." Ita oriri coepit amicitia (audeo enim hoc nomine appellare diuturnam quam inivimus consuetudinem artamque necessitudinem, quam integram tot annos servavimus) quae inter me parvum et adhuc iuenculum atque illum magnum et summa de arte docendi linguisque peritia exstitit diu, nulla umquam re perturbata; quam aluimus frequentibus colloquiis, longo epistularum commercio et congressibus multis. Post breve tempus, a me invitatus, Italiam petivit, scholaque, ubi ipse docebam, invisita, cum meis discipulis haud brevia habuit et

lepidissima colloquia; postea eum iterum vidi in Finnia, inter omnium gentium conventum, qui Granivici anno MCMXCVII est habitus; anno insequenti Montaurius, cum conventiculo, quod Academia nostra Neapoli et Montellae ordinaverat, interesset, luculentam habuit de sua methodo orationem, quam exemplum secutum est illius docendi viae a me ipso cum discipulis meis Montellensibus praebitum. Celeberrimum fuit eo die auditorium; magistri Itali tunc primum, fortasse, quanti esset talis ratio habenda intellegere coeperunt. Condidimus igitur domum editoriam; Montaurius iterum Montellam rediit; Neapolim et loca circumiacentia una invisimus, inter nos de humanitate, de litteris, de modis musicis (canebat enim ipse tibia), de discipulis docendis et ad virtutes informandis, de locorum amoenitate (delectabant eum plurimum tam silvae, montes, rivique murmurantes quam ridentes orae maritimae) suaviter per horas integras colloquentes: petivimus tunc una etiam Siciliam; et Catinae, sub montis Aetnae radicibus, plurimos convenimus magistros, qui de linguis Latina et Graeca iuxta naturae viam tradendis audire summo studio avebant. Anno MM iter Italicum simul faciendum suscepimus: Neapoli, Romae, Florentiae, Mediolani, Paduae, Vicetiae alii magistri nos expectabant; hic et illic ingentes puerorum turbae Montaurium quasi suum heroa multis plausibus, festivisque vocibus salutabant, quasi novum et impavidum Herculem, qui, cum monstra morphologiae et syntaxeos Latinae vicisset, discipulorum populum diutina tyrannide et metu inveterato oppressum in aeternam libertatem vindicasset. "Barbarus sum Cimber" tunc magna voce in sua concione Latine dixit, "ex Septentrionibus venio: et quasi me pudet quod tam ovanter salutor a Romanorum Italorumque filiis. At una est nunc nostra litterarum res publica: etiamsi adhuc regiones diversas incolimus, una tandem eademque humanitate coniungimur." Numquam illi dies ex mea excident memoria.

Iterum Iohannem (ita, qua fuit benevolentia, a me appellari siverat) Cantabrigiae in Britannia anno MMV vidi, cum uterque conventui interesset de lingua Latina docenda. Iam non poterat facile stare, cum spinae doloribus afficeretur magnis: birota, qua vehi erat ei in deliciis, innitebatur; ita per vias Cantabrigienses progrediebamur, alter iuxta alterum, auditoria

petentes, iucundeque inter nos sermocinantes. Consilia identidem inibat; de Vergilio edendo, de Lucretio, de Ovidio loquebatur; in animo habebat epistularum florilegium concinnare, quo Ciceronis, Senecae, Plinii, Hieronymi litterae continerentur. Insequenti lustro sedulo operam navavit, ut hos libros, quorum consilium edendorum iam pridem conceperat, in lucem daret. Parcae autem aliter disposerant: perfecit enim Vergilium, ad colophona, paucis diebus antequam supremum vitae diem obiret, Ovidii Artem amatoriam perduxit; oculorum acies valde erat hebetata, at mens lucidissima vigebat. Eum per telephorum ultimum adivi ineunte mense Februario anni proxime praeteriti: "Doleo" inquit "quod cogor confiteri hunc morbum, quo afficio, me ad mortem certam intra breve tempus ducturum." Gelidus mihi cucurrit per ossa tremor. "Ne quid autem timueris" perrexit, cum sensisset me subito conticescentem, "medici et liberi omnes me optime curant, neque magnos patior dolores. Haec est rerum natura, haec est humana vita; nonagesimum enim annum iam ago: tempus est discedere." Multa volebam dicere, eiusque animum consolari; verba vero defuerunt: occurrebant menti animoque dies illi pulcherrimi, quos una de omni humanitate disserentes exegeramus, atque suavissima illa colloquia omnesque labores una exanclatos ad docendi rationes in Italia et apud exterarum gentes immutandas recordationeolvebam... "Gratias tibi ago" ait, quasi in animo legisset meo, "propter omnia quae ad divulgandam methodum meam fecisti". Nesciebam equidem quid responderem. "Gratias" volui dicere, nescio an dixerim, "gratias tibi innumeras, ingentes, singulares nos omnes tibi agimus, magister, qui

nobis viam rectam praemonstravisti iis emetiendam qui sive discere sive docere linguam litterasque Latinas velint; gratias pro libris, quos nobis donasti, quasi semitam bene stratam quam facile quivis percurrere possit; sed gratiam praecipue tibi perpetuam et immortalem habebimus, quod nobis exemplum viri boni praebuisti veraeque humanitatis. Utinam te digni simus, utinam tuam excipere hereditatem mereamur. Vale in aeternum, magister, vale pater."



ANNALES ACADEMIAE

scripsit Georgius Cepelak

*Tempora cum causis Latium digesta per annum
lapsaque sub terras orta que signa canam.*

Ovidius

*Lyceorum (necnon Universitatis
Masarykianae) discipuli qui ad nos venerunt*

Academiae Vivarii novi sodales, discipuli, magistri cum scholis sive participandis sive habendis, tum etiam multis aliis studiis incumbunt quae vel imprimis eis sunt destinatae qui extra ipsius aedes versantur. Alii, qui aliquid addiscendi causa veniunt, hospitio excipiuntur, alii vero etiam in oppidis, urbibus, terris suis magistros discipulosque nostros conveniunt vel etiam seminariis conventibusque intersunt. Verno igitur tempore plures quam trecenti discipuli ex variis totius Italiae lyceis ad nos venerunt qui per unum pluresve dies scholis sibi aptis interessent: mense Martio discipuli lycei Tridentini (d. XXIII-XXV m. Martii), lycei Mediolanensis a Caesare Beccaria nuncupati (d. XXI-XXVII m. Martii), lycei Bausaniensis ab Eduardo Torricelli appellati (d. XXI-XXVII m. Martii), lycei Neapolitani ab Humberto I nuncupati (d. XX m. Martii), mense Aprili primum discipuli lycei Hydruntensis ab Eduardo Majorana nuncupati (d. XX m. Aprilis), deinde lycei Hennensis a P. Farinato appellati (d. XX-XXI m. Aprilis), tum lycei Latiniensis a Grassi nuncupati (d. XXVIII m. Aprilis), postremo archiepiscopalis lycei Tridentini a Caesare Endrici appellati (d. XXVIII-XXIX m. Aprilis), mense Maio denique discipuli lycei Histniensis a R. Mattiolo nuncupati (d. VI m. Maii). Ceterum die XII eiusdem mensis etiam fere quindecim alumni Universitatis studiorum Masarykianae magistra comitante venerunt qui aedes lustrarent participarentque scholas; eosdem postridie magistri discipulique Academiae per parietinas Ostienses duxerunt.

*De itineribus ad nostras methodos exhibendas
susceptis*

Multa praeterea habita sunt per totam Italiam seminaria quae plerumque Aloisius Miraglia, nonnullis Academiae magistris auxiliantibus, coram magistris lyceorum habuit: m. Ianuario

in lyceo Reatino (d. XXVI m. Ianuarii), m. Februario Ragusiae in lyceo ab Henrico Fermi nuncupato (d. XXIII-XXVI m. Februarii) m. Martio Catini in lyceo a Colutio Salutati appellato (d. IV. m. Februarii), Tergeste in lyceo a Galileo Galilei nuncupato (d. XVI-XVII m. Martii), mense Aprili primum Parmae in lyceo Atilio Bertolucci dicato (die VIII m. Aprilis), deinde Mediolani in lyceo a Caesare Beccaria appellato ubi de civilitate morum, qualis aetate renascentium artium fuerit, est tractatum (d. XIV m. Aprilis), postremo bis Romae in lyceo a Iosepho Peano nuncupato (d. XV et XXVII m. Aprilis, etiam bis m. Maio) scholae coram magistris habitae sunt. Hoc genus seminaria etiam mensibus Maio et Iunio necnon Decembri celebrata sunt Interamnae in lyceo a Tacito nuncupato (d. XIX m. Maii), iterum Romae in lyceo, de quo iam supra dictum est, in lyceo Rhaudensi necnon duobus in lyceis Messanae in Sicilia (d. VII m. Decembris et d. XV-XVI m. Decembris). Huc etiam duos conventus adde, in quibus nostri magistri orationes vel seminaria celebraverunt, velut conventus Consociationis Italicae de cultu Graeco et Romano mense Maio Interamnae in bibliotheca municipali habitus ubi Aloisius Miraglia de humanismo et classicismo, qui dicuntur, disseruit (*Associazione Italiana di cultura classica*, Terni), et seminaria mense Octobri in vico sancti Felicis ad lacum Benacum sub auspiciis Europae Latinae ab Academiae Vivarii novi sodalibus coram utriusque linguae magistris de Britannia Latina celebrata (*Colloqui / colloqui: quod tu in docendo potes: S. Felice sul Benaco* - Europa Latina).

Neque tantum finibus Italiae talia itinera ad Latinitatem provehendam suscepta contineri poterant. Iam mense Ianuario magistri



mense Iulio Georgius Cepelak in Schola aestiva studiorum classicorum Opaviae in Re publica Bohemica coram magistris Bohemis de colloquiorum ad linguam Latinam docendam utilitate seminarium instituit, postea mense Novembri Novi Eboraci Scholam superiorem Insulae Longae (*Long Island City School*, NY) inuisit, scholis interfuit, cum discipulis Matthaei Keil de studiis Latinitatis et Academia Vivarii novi locutus est; eodem etiam Aloisius Miraglia iam mense Februario iter susceperat ubi cum Matthaeo McGowan (Universitatis "Fordham" nuncupata Neoeboracensis), Marcello Lippiello (Universitatis "Duke" appellatae Durhamensis), Vanya Visnjic (Universitatis Princetoniae), Matthaeo Keil (Scholae superioris Insulae Longae Neoeboracensis) praeter alia etiam de modo, quo poesis Graeca et Latina quam rectissime exprimeretur modisque musicis instrui posset, necnon in universum de Latinitatis studiis colloquium instituerat.



De hominibus claris inter annum exceptis

In ipsius denique Academiae Vivarii novi aedibus die XXIII mensis Aprili cena professoribus academicis, qui in Academiae Latinitati Fovendae sodales numerantur, est apposita; ad quam venerunt Curtius Smolak (Universitatis Vindobonensis), Gaius et Francisca Licoppe coniuges (Operis Fundati c.n. "Melissa" Bruxellis siti), Andreas Fritsch (Liberae universitatis Berolinensis), Nicolaus Sallmann (Universitatis Magontiacae), Nicolaus De Mico (Universitatis Romanae a "Sapientia" nuncupatae), Antonius Capellan Garcia (societatis Matritensis, c.n. "tekhnai"), cum uxore, filia et familiaribus quibusdam, Synnova Des Bouvrie (Universitatis Tromsoensis), Gerardus Freyburger (Universitatis Argentoratensis "Marco Bloch" dicatae), Caietanus Gantar (Universitatis Aemonensis), Demetrius Koutroubas (Universitatis Atheniensis), David Money (Universitatis Cantabrigiensis), Vibeke Roggen (Universitatis Osloensis), quibus se iunxerunt Marius Maritanus, Facultatis litterarum Christianarum et classicarum Pontificiae Universitatis Salesianae decanus, Miran Sajovic, eiusdem Facultatis secretarius, et Cletus Pavanetto, in eadem Facultate professor et per multos annos praeses operis fundati Civitatis Vaticanae, c.n. "Latinitas". Post cenam concentum Academiae discipuli praebuerunt. Paucis diebus ante in aedibus Academiae Vivarii novi expositae sunt tabulae a pictoribus ex America media et meridiana oriundis depictae; cuius rei inauguratio die

Academiae *Scholam novam* inviserunt quae Ayencurti in Belgica sedem habet artoque cum Academia Vivarii novi amicitiae vinculo est coniuncta; ibi scholas habuerunt, de inceptis consiliisque futuris disseruerunt, novi auditorii inaugurationem participaverunt. Insequenti mense vicissim Alexander Feye cum tribus discipulis eiusdem *Scholae novae* aedes Vivarii nostri inuisit. Mense denique Novembri nonnulli magistri Academiae Vivarii novi Ayencurti conventui de litteris interfuerunt atque ipsi scholas recitaverunt.

Multa praeterea etiam apud alias gentes sunt peracta. Mense Martio et Aprili Aloisius Miraglia in Hispaniam est profectus ubi primum ipse Barcinone seminaria de utraque lingua docenda, deinde orationem plenariam habuit (*IV Jornades de Didàctica de les Llengües Clàssiques*, d. XII-XIII m. Martii), postea Emeritae inter conventum ad honorem Iohannis Orbergii nuper defuncti institutum (*Homenaje al profesor Hans H. Orberg, VI edición de las Jornades de cultura clásica*, d. IX-XI m. Aprilis) una cum Alexi Hellmer, Omar Pacheco, Eduardo Fernandez Guerrero, Eusebio Toth de methodis quales in Academia Romana Vivarii novi adhiberentur locuti sunt. Ineunte

MERCVRIVS

XIX. m. Aprilis habita etiam concertu musico ornata est. Iam antea vero hospites, qui scholas coram discipulis celebrarent, ad nos venire coeperunt. Medio mense Martio igitur Petrum Honc ex Universitate Carolina, quae Pragae sedem habet, hospitio excepimus qui usque ad medium mensem Aprilem de aetate Concilii Tridentini et sic dicti protestantismi scholas habuit.

Die XX mensis insequentis hospitio excepimus Davidem Morgan ex Universitate c.n. "Furman", qui postridie, una cum Aloisio Miraglia, Omar Pacheco, Eusebio Toth et Ignatio Armella, Michaellem von Albrecht Assisium ad conventum de Propertio comitatus et inde reversus seminaria usque ad diem XXVII eiusdem mensis de Meditationibus Cartesii recitavit. Eodem tempore etiam Antonius Antonioni Bononiensis et Claudius Piga Mediolanensis seminaria celebraverunt, hic de arte rhetorica, ille de iure belli apud Hugonem Grotium. Ineunte mense Iunio venit Maurus Pisini ex Pontificio Instituto Musicae Sacrae qui de Ferdinando Bandini, huius temporis poeta Latino, cuius carmen *De itinere reginae Sabeae* coram discipulis magistrisque Academiae Vivarii novi praelegit. Anno academico paulo post peracto est in ipsius Academiae aedibus institutus omnium gentium conventus in honorem et memoriam Iohannis Orberg; quem conventum c.n. "Monumenta viaeque" a die IX usque ad diem XVII m. Iulii habitum atque efficacioribus linguam Latinam docendi methodis dicatum plus quam ducenti discipuli, magistri, Latinitatis professores ex toto orbe terrarum participaverunt.

De festo natalicio

Die Saturni XVIII m. Decembris ianuae Academiae iis omnibus sunt apertae, qui ipsius aedes, scholas, methodos docendique rationes vellent cognoscere; quo cum nonnulli Pontificiae universitatis studiorum Salesianae professores ducibus P. Cleto Pavanetto, qui per multos annos operi fundato, c.n. "Latinitas" praefuit, et P. Mario Maritano, Facultatis litterarum Christianarum et classicarum decano, tum etiam haud pauci alii hospites non modo ex Italia, verum etiam ex America et variis civitatibus Europaeis oriundi convenerunt; inter eos fere XXX discipuli Germani. Primum igitur ab Aloisio Miraglia salutati aedes lustraverunt, deinde de consiliis, quae nunc aguntur, necnon futuris audiverunt, postremo magistris quoque semet ipsos doctrinasque, quas profitentur, commendantibus aures praebuerunt. Quae cum in auditorio magno peracta essent, hospites tres effecerunt greges, quorum eodem tempore primus scholae elementorum linguae Latinae, alter linguae Graecae, tertius litterarum Latinarum interfuit, ubi magistri quomodo hae studiorum provinciae efficaciter tradi possent conati sunt demonstrare exemplis. Scholis denique ad finem perductis potiones et cuppedia in triclinio sunt apposita ubi cum ceteris hospitibus, cum Academiae discipulis ac magistris libere colloqui licuit. Ne vero hic esset totius diei finis, in auditorio magno concertus Academiae discipulorum carmina Nativitatis Domini concinentium est datus et velut donum hospitibus domos reversuris oblatus.



EPHEMERIDES ANNI MMX

Mense Ianuario

XIII-XVII Orationes et praelectiones in Schola nova Ayencurti, in Belgica, sita, habitae sunt.

XXVI. Acroasis coram magistris in lyceo Reatino est facta.

Mense Februario

V: Novi Eboraci: conuenticulum de variis rebus ad linguas Graecam et Latinam docendas pertinentibus habitum est. XVI-XX: Alexander Feye ex Schola nova cum tribus discipulabus aedes Academiae inuisit.

XXIII - XXVI: Seminaria de arte docendi coram magistris lycei Ragusani ab Henrico Fermi nuncupati (*Liceo scientifico "Enrico Fermi", Ragusa*) acta sunt.

Mense Martio

IV: Acroasis est habita Catini in lyceo a Coluccio Salutati appellato (*Liceo scientifico "Coluccio Salutati", Montecatini*)

XII-XIII Seminaria de utraque lingua docenda Barcinone agitata sunt (*IV Jornades de Didactica de les Llengües Clàssiques, Barcellona*): Aloisius Miraglia orationem plenariam habuit.

XVI-XVII: Seminaria de arte docendi sunt celebrata Tergeste in lyceo a Galileo Galilei nuncupato (*Liceo scientifico "G. Galilei", Trieste*)

XXI-XXVII: discipuli lycei oppidi Primiero, apud Tridentum siti (*Liceo scientifico di Primiero, Trento*), lycei Mediolanensis a Caesare Beccaria nuncupati (*Liceo classico "C. Beccaria", Milano*), lycei Bausaniensis ab Evangelista Torricelli appellati (*Liceo scientifico "E. Torricelli", Bolzano*) Academiam, magistris ducibus, inuiserunt.

Mense Aprili

VIII: Parmae in lyceo Atilio Bertolucci dicato acroasis coram magistris habita est.

IX-XI: Emeritae Augustae, inter conuentum ad honorem Iohannis Orberg nuper defuncti institutum (*Homenaje al profesor Hans H. Orberg, VI ed. de las Jornadas de cultura clásica, d. IX.-XI. m. Aprilis, Meridà*), de methodis quales in Academia Romana Vivarii novi adhibeantur locuti sumus.

XIV: Mediolani in lyceo a Caesare Beccaria appellato de civilitate morum, qualis aetate renascentium artium fuerit, est tractatum (*Liceo classico "C. Beccaria", Milano*).

XV: Romae, in lyceo a Iosepho Peano nuncupato (*Liceo scientifico "G. Peano"*) acroasis coram magistris habita est.

XIX-XXII: Tabulae a pictoribus ex America media meridianaque oriundis expositae sunt, die XIX inauguratio habita et convivium celebratum cui Oratores publici plurimarum civitatum et Athenaeorum rectores professoresque haud pauci interfuerunt.

XX-XXI: Discipuli lycei Hydruntensis ab Hectore Majorana nuncupati (*Liceo scientifico "E. Majorana", Otranto, d. XX. m. Aprilis*), deinde lycei Hennensis a Petro Farinato appellati (*Liceo scientifico "P. Farinato", Enna, d. XXI. m. Aprilis*) Academiam petiverunt scholisque interfuerunt

XXI: Coram magistris omnium lyceorum Hennensium seminaria de arte docendi celebrata sunt.

XXIII: Cena apposita est professoribus iisdemque Academiae Latinitati Fovendae sodalibus quibus se iunxerunt Facultatis litterarum Christianarum et classicarum Pontificiae Universitatis Salesianae decanus et a secretis, et Cletus Pavanetto, quondam praeses operis fundati Civitatis Vaticanae, c.n. "Latinitas". Post cenam concentum musicum Academiae discipuli praebuerunt.

XXVII: Romae coram magistris lycei a Iosepho Peano nuncupati de arte docendi seminaria habita sunt. XXVIII-XXX: Primo die discipuli lycei Latiniensis a Grassi nuncupato (*Liceo scientifico "Grassi" di Latina*), ceteris vero archiepiscopalis lycei Tridentini a Caestino Endrici appellati (*Liceo arcivescovile "C. Endrici", Trento*) nobiscum commorati sunt.

Mense Maio

IV: Aloisius Miraglia Interamnae in bibliotheca municipali de humanismo et classicismo, qui dicuntur, disseruit (*Associazione Italiana di cultura classica, Terni*).

VI: Discipuli lycei Histniensis a Raphaele Mattiolo nuncupati (*Liceo scientifico "R. Mattioli", Vasto*).

VII: Romae coram magistris lycei a Iosepho Peano nuncupati seminarium de arte docendi tertium habitum est.

XII: Quindecim alumni Universitatis studiorum Masarykianae magistra comitante venerunt; eosdem postridie magistri discipulique Academiae per parietinas Ostienses duxerunt.

XIX: Interamnae in lyceo a Tacito nuncupato seminarium agitatum est (*Liceo classico "Tacito", Terni*).

XXIII-XXVII: David Morgan ex Universitate "Furman" nuncupata, quae in Carolina meridiana sita est, seminaria de Cartesii Meditationibus, Antonius Antonioni Bononiensis de iure belli apud Hugonem Grotium et Claudius Piga Mediolanensis de arte rhetorica recitaverunt.

Mense Iunio

VII: Coram magistris lycei Rhaudensis (*Liceo scientifico, Rho*) scholae de arte docendi habitae sunt.

XI.: Maurus Pisini ex Pontificia Universitate Salesiana de Ferdinando Bandini, huius temporis poeta Latino, et *De itinere reginae Sabeae* seminarium habuit.

Mense Iulio

III. Georgius Cepelak Opaviae in Re publica Bohemica coram participibus Scholae aestivae studiorum Graecorum et Romanorum seminarium de colloquiorum aetatis Renascentium artium ad linguam Latinam docendam utilitate habuit.

IX-XVII: Omnium gentium conuentus in honorem et memoriam Iohannis Orberg institutus est, c.n. "Monumenta viaeque", de efficacioribus linguam Latinam docendi methodis litterarumque momento et pondere.

Mense Octobri

VI-VIII: Seminarium c.n. "Collòqui /còlloqui: quod tu in docendo potes" in vico sancti Felicis ad lacum Benacum sub auspiciis Europae Latinae celebratum est

Mense Novembri

XXII Georgius Cepelak Novi Eboraci Scholam superiorem Insulae Longae (*Long Island City School, NY*) inuisit, scholis interfuit, coram discipulis Matthaei Keil de studiis Latinitatis et Academia Vivarii novi locutus est. XXIII-XXVII. Conuenticulum in aedibus Scholae novae in Belgica celebratum est, eiusdemque discipulis habitae scholae.

Mense Decembri

XV-XVI: Messanae, in Sicilia, duobus in lyceis (*Liceo classico "Emilio Ainis", Messina; liceo classico "Vittorio Emanuele III", Patti*) acroases de arte docendi coram magistris factae sunt.

XVIII: Federica Ciccolella, quae litteras antiquas profitetur in studiorum universitate Texiana quae compendiariis litteris A&M vocatur, una cum marito aedes Academiae inuisit. Eo ipso die, vesperi, Academiae ianuae iis omnibus sunt apertae, qui ipsius aedes, scholas, methodos docendique rationes cognoscere vellent.

ANNUS ACADEMICUS 2010-2011

scripsit Alexis Hellmer


Peractis feriarum mensibus, post multifarios usquequaque labores exanclatos, autumnus nobis, *ubi iam breviorque dies et mollior aestas* fiunt, sidera tandem illuxere. At tempore illo, quo colonus summo gaudet opere frumenti copia atque uva recenti, tunc nos, qui in Vivario novo litteras et animum colimus, magna futurae segetis spe adducti, semina coepimus, ut singulis annis, committere sulcis. Ex toto enim terrarum orbe litterae ad nos pervenerant pridem, quibus plurimi iuvenes id postulabant ut in nostram Academiam admitterentur. Quibus perlectis, statim manus operi admovimus aedes concinnandi scholasque ordinandi gratia. Exeunte deinde mense Septembri, singillatim ad nos ex variis et longinquis terris illi, qui nunc apud nos versantur, suos in nostram sedem Romanam lares transferre coeperunt. En tibi, care lector, ut ipse quanta sit apud nos nationum varietas mente fingere queas, summam eorum qui nostro Instituto nomen suum hoc anno dederunt: ex Argentina unus, ex Brasilia quattuor, ex Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis sex, ex Mexico undecim, ex Bohemia tres, ex Ruthenia unus, ex Gallia unus, ex Italia unus, ex Turcia unus, ex Nigeria unus, ex Hispania unus. Nonnulli pro dolor, qui ad nos ex Germania, exempli gratia, ex Slovacia necnon ex Lusitania venire instituerant, negotiis quibusdam impediti quorum pars maxima ad Universitatem

studiorum spectat, commorationem Romanam differre debuerunt.

Nostrae autem scholae hoc anno, solito more, praesertim in illis auctoribus legendis versantur, quorum operibus animus et quasi genius occidentalis orbis informatus est atque per saecula innutritus. Instituti sunt igitur cursus litterarum Latinarum et antiquae et recentioris aetatis, philosophiae antiquorum et artis Latine scribendi. Neque praetermittendae sunt scholae de arte pingendi, sculpendi et architectandi apud Graecos et Romanos, de elementis linguae Graecae et de Graecorum litteris. Quibus gradatim, sive magistrorum suasu sive ipsis discipulis postulantiis, seminaria plurima de singulis auctoribus vel operibus accedunt, prout datur occasio. In quibus hactenus, a mense Octobri ad mensem Ianuarium, nonnulli Platonis dialogi, Ovidii Metamorphoses, opera de re astronomica Graece et Latine conscripta tractabantur. Scholae praeterea de elementis linguae Latinae illis potissimum destinatae, qui sive nullam sive parvam Romani sermonis notitiam habebant, optimo successu habitae sunt et, indefesso Georgii Cepelak labore, fere cottidie haberi pergunt. Quarum ope, discipuli qui ante hos tres menses non sine difficultate unum et alterum verbum Latine poterant proferre, hodie Latine garriunt, legunt et scribunt perfluent.



LIBRI A NOBIS EDITI ET VULGATI





M. Agostus, *Elementa doctrinae rhetoricae*, cum scholiis in *Topica* Ciceronis accedunt *Summulae rhetoricae*, Institutum Italicum Studiis Philosophiae provehendis/Academia *Vivarii novi*, Romae MMX.

Hoc volumine auctor, qui praeteritis annis doctrinam artis rhetoricae qualis apparet apud scriptores Latinos in nostra Academia professus est, materiem, quam discipulis anno academico MMV-MMVI tradidit, quam maxima perspicuitate summoque rerum ordine digestam complexus est. Non modo enim in prima libri parte fundamenta exposuit rhetoricae, verum etiam in altera *Topicorum* Ciceronis sententias singulari eruditione illustravit et commentario ornavit perpetuo. In extremo vero opere, *summulis* propositis, rudem variarum et intricatarum rerum molem lucidissime enodavit. In appendice copiosus librorum ad rem facientium index appositus est.

A. Miraglia, *Vita moresque*, Editiones Academiae *Vivarii novi*, Romae MMX.

Quin vix liceat recte scriptores Latinos intellegere nulla rituum morumque antiquorum notitia impetrata, nemo est qui dubitet; Montaurii illius, praeclari magistri, opus sat copiose suppeditat singulis in paginis materiem ad consuetudines mentesque Romanorum, qui II saeculo p.Chr.n. fuere, rimandas atque penitus intellegendas; nos ceteroquin plerumque cum Heineccio stamus dicente *λεπτολογίας* esse vulgaria et trita illa, quae in libris de antiquorum moribus scripta videri soleant; quas *λεπτολογίας* non immerito plerumque in talium scriptoribus rident, quotquot sunt cordatiores eruditi; quamquam igitur, ut morem studiosae iuventuti gereremus saepe harum rerum ignaram, nonnulla in hunc librum, quem concinnandum decrevimus, *de veterum calceis, de eorundem tricliniis, epulis, ianuis, ludis, hastis, tibiis, coronis, larvis, thermis, torquibus, lucernis* indere non sumus dedignati, illud nihilominus imprimis nobis praestituimus, ut ea, quae Romani aetatis Antoninae ac praecedentium temporum de sua ipsorum vita intellegebant et cogitatione complectebantur discipulis adolescentulisque aperiremus, quo, veros genuinosque scriptores legentes, eorum mentes funditus penetrarent. Quantum igitur potuimus lepide non solum de ritibus qui apud Romanos obtinere, verum etiam de ratione qua ipsi sibi res et huius vitae speciem proponebant, hoc libello innumeris ac versicoloribus imaginibus ornato tractavimus; quem ita offerimus lecturis, ut non evolvatur scriptorum antiquorum in locum, sed quasi eorum intellegendorum parens et mitis ancilla habeatur.





A. Miraglia, *Fabulae Syrae*, Editiones Academiae Vivarii novi, Romae MMX.

Qui linguam Latinam adamussim discere cupiunt, ii non modo plurima vocabula verborumque iuncturas memoriae mandare, verum etiam creberrimas quasque syntaxeos structuras penitus intellegere et usu ita animis infigere debent, ut inde evelli nullo iam modo possint. Priori necessitati subvenit anno superiore Robertus Carfagni exercitiis, adnotationibus glossisque ad Abbatis Lhomond *Epitomen historiae sacrae* adpositis; alteram vero levare conatus est hoc anno Aloisius Miraglia, auxiliantibus non parum Vivarii novi magistris atque discipulis; hoc igitur consilio hae *Fabulae Syrae* ortae sunt: quinque scilicet et quadraginta narratiunculae sive Romanae sive Graecae, quae a Syra, Aemiliae ancilla aetate provecta (agitur de personis illius libri, qui *Familia Romana* inscribitur), Iulii liberis tradi finguntur. Per eas fabellas, quae in singula capitula difficiliora fiunt, discipuli dictiones omnes eorumque ordinationes et constructiones iterum iterumque variis in orationum contextibus repetitas quasi animo combibunt in sucumque ac sanguinem convertunt. Dum hoc faciunt usuque et exercitatione diutina elocutionem Latinam absorbent, fabulares illas Graecorum Romanorumque historias facile discunt, quae tam magni momenti sunt ad omnes antiquos scriptores accurate intellegendos, ut eas quivis mediocriter eruditus ignorare non possit. Hoc quidem modo opusculum a nobis conscriptum hereditatem longam accipit, quae inde ab Apollodoro et Hygino, usque ad Iosephum Iuvencium, S.I., et tandem, nostra fere aetate, ad Franciscum illum Ritchie pertinuit.

Nos sumus tempora, quales sumus, talia sunt tempora



LIBRI QUIBUS OPERAM DEDIMUS



Erasmus da Rotterdam, *Mihi placet concordia (Lettere sulla Riforma)*: vol. I (1516-1520); vol. II (1521-1522), ed. G. Moro, Aragno, Augustae Taurinorum MMX.

Eduardus Fernandez Guerrero, Hispanus discipulus noster Malaca oriundus, Academiae nomine huic libro conficiendo, quo epistulae de Ecclesia reformanda ab Erasmo sive scriptae sive acceptae continentur, impigram navavit operam, cum Latinum textum totum, qui plus quinquaginta et trecentis paginis constat, de editione illius Allen pro virili accuratissime describendum curavisset. Praeter epistulas, haec volumina, diligentissime a Iacobo Moro concinnata, duo quoque continent opuscula (*Axiomata* et *Consilium* inscripta), quae Erasmus in Lutheri defensionem anno MDXX composuit, postquam Pontificis bulla, quae a verbis *Exsurge Domine* incohatur, publici iuris erat facta. Erasmus vero insequenti biennio, cum a Catholicis, imperatoris aulicis Lutheranisque varias in partes distraheretur, nullo prorsus modo favere rerum eversioni voluit, neque tamen corruptis indignisque hominibus sibi persuadere conantibus cessit; cum Lutero vero ceterisque, quorum livor apertam in rabiem bellumque evaserat, stare recusavit.



Iusti Lipsii *Politiorum libri sive civilis doctrinae libri sex*, ed., in Italicum sermonem convertit et commentario instruxit T. Provvidera, Aragno, Augustae Taurinorum MMX.

Opus, quod Iustus Lipsius auctum et recognitum anno MDXCIV Lutetiae Parisiorum edendum curaverat, a Titiana Provvidera nunc (post editionem, quae in serie *Bibliotheca Latinitatis novae*, Anglica praefatione, interpretatione et commentario instructa cura et studio Iohannis Waszink erat iam pridem vulgata) iterum est editum, non sine adminiculis multis instrumentoque pretioso; nam non modo luculente multa in prooemio praefata est curatrix lectoremque earum rerum fecit certiore, quae recentissime viri docti investigando collegerunt, verum etiam ipsum scriptoris textum melius constituit, tum in Italicam linguam affabre transtulit, dein uniuscuiusque fere sententiae diligentissime fontes indicavit, et omnia denique copiosis ornavit commentariis atque perpetuis. Opus hoc conscripserat Lipsius ut principes et reges ad metam publici boni dirigeret; quod quidem et alii ante eum fecerant egregie: ille vero alia quadam et omnino nova ratione ad virtutes et artem bene regendi eos, qui ad rerum publicarum gubernacula sederent clavumque manu tenerent exhortari constituit: unde gloriatur in praefatione se *inopinatum quoddam stili genus* constituisse: nam *verba et sententias varie* conquisivit a scriptoribus priscis, et id maxime ab historicis. Inde factum

est ut hic liber sit quasi cento quidam novus et singularis, quo innumerorum scriptorum sive Graecorum sive Latinorum sententiae inter sese brevibus iuncturis a Lipsio ipso exaratis assutae atque conexae, unum et continuatum ex variis, multiplicibus ac multiformibus liciis textum conficiunt. Saepe sententiae, ex orationum contextibus depromptae, alia ratione intelleguntur et usurpantur a Lipsio atque a scriptoribus ex quorum operibus erutae sunt; quod numquam non curavit Titiana Provedera diligenter significandum. Gratias nos agimus curatrici, quae, cum nobis praeter merita nostra, at sola benevolentia adducta, plurimum confideret, totum opus ante quam ederetur retractandum, recognoscendum, recensendum commisit.





Io. Georgii Lotteri *De vita et philosophia Bernardini Telesii commentarius*, Antonii Persii *In librum novarum positionum*, Iacobi Antonii Martae *Pugnaculum Aristotelis adversus Principia Bernardini Telesii*, omnes hi libri editi sunt in uno disculo, quo et opera Telesii et eius discipulorum adversariorumque scripta continentur; qui disculus "Bernardino Telesio" inscriptus, a Coetu Italico quingentesimo anno a Telesii natali recolendo (*Comitato nazionale per le celebrazioni del V centenario di B. Telesio*) editus est.

Magistri Academiae nostrae atque discipuli quidam seduliores strenuam dederunt operam describendis, recognoscendis, interpretandis intellegendisque hisce operibus, quorum primum, quod Georgii Lotterii dissertatio doctoralis fuit, Lipsiae anno MDCCXXXIII editum est; cetera vero duo saeculo XVI, qua aetate ipse Telesius floruit, typis erant mandata. Lotterii liber satis est pervius et hic illic etiam

iucundus; scetet tamen adnotationibus permultis interdum molesta quadam diligentia grammaticorum propria exaratis. Tota percensetur eo opere ac diligentissime illustratur vita Bernardini Telesii, philosophi praeclari, qui, in Italia meridiana natus, totam per Europam suam vocem propagavit. Cuius Telesii annus proxime praeteritus quingentesimus celebratus est ab eius natali, qui fuit a. MDIX: unde N. Ordine et R. Bondi, viri docti, plurima iniverunt consilia ad philosophi memoriam variis modis refricandam posterisque integram tradendam; in quibus et hunc disculum edendum curavere, quo haec omnia opera a nobis vestigata atque descripta continentur. Antonius Persius singulas disciplinas ita tractavit, ut Aristotelicorum praesertim Scholasticorumque placita refelleret, quae, iuxta Telesii magistri sui dogmata, falsa et erronea esse iudicavit. Recenset igitur non modo physicorum, verum etiam rhetorum, dialecticorum, ethicorum, utriusque iuris peritorum sententias, quibus recusatis, alias proponit; in ultima vero libri parte etiam quaedam pro Aristotelis doctrina dicere non dedignatur. Maxime vero arduum, obscurum et omnis generis sophismatis intricatum est istius Martae opus, quod etiam puerilibus turpibusque grammaticae, syntaxeos, vel ipsius orthographiae erroribus scetet; voluit auctor Telesii sententias singulas impugnatas respuere: nobis autem legentibus, recensentibus, quantum potuimus accurate describentibus, nihil aliud nisi virus acerbitatis suae effundere et quasi evomere visus est vir omni doctrina bonisque litteris orbus, ac sensus communis, humanitatis leporumque experts.

DE PELLICULA IN HONOREM ET MEMORIAM IOHANNIS H. ORBERGII CONFECTA, CUI INDEX "VITAE, NON SCHOLAE"

Mense Iunio anni proxime praeteriti, cum opus ad omnium gentium conventum de *Monumentis viisque* docendi praeparandum ferveret, quidam seduli Academiae discipuli, in quibus Rogerius Matsumoto Figueiredo Brasilianus, Eusebius Aron Toth Hungarus, Iulianus Claeys Bouuaert Belga, Georgius Cepelak Bohemus, Gerardus Froylán Guzmán Ramírez et Iulius Castro Mexicani, adiuvantibus quibusdam hominibus, qui cinematographicam artem profitentur, pelliculam conficiendam curaverunt de vita et opere Iohannis illius Orbergii sive Montaurii, qui tantam plus quinquaginta annos dedit operam ut praesertim apud iuvenes lingua Latina melius audiret faciliusque perdisci posset. Undequaque igitur brevi temporis spatio perquisita materie, postulatis etiam a filiis et a familiaribus imaginibus, documentis, pelliculisque variis, et scaenas describere ordine quodam rationabili iucundoque dispositas, et commentaria exararunt, quae lecta imaginibus coniungerentur, et doctissimorum virorum, quales fuerunt Erasmus, Comenius, Posselius, Facciolatus ceterique multi, paginas excussere, ut viderent atque monstrarent quantum illorum praeclarorum scriptorum placita de docendi viis rationibusque cum Montaurii inventis congruerent conspirarentque. Iohannis igitur Orbergii vita belle descripta, atque illorum librorum, qui maxima fama nunc apud Latinitatis cultores pollent, origine multis modis illustrata, de ipsa methodo eiusque mirabili efficacitate tractarunt, percontantes plurimos et magistros et discipulos, qui ea usi sunt. Hisce testimoniis freti, rem apertissime declararunt artemque monstrarunt didascalicam, qua ille Montaurius erat ornatus non sine magna doctrinae supellectile; cuius hereditatem nos acceptam posteris aequae bene atque ille fecit tradere posse speramus.



STUDIA ET VESTIGATIONES QUAE NOBIS IN MANIBUS SUNT



Erasmi Roterodami *Adagia*, curantibus Davide Canfora et Aloisio Miraglia.

Adagia, quae, cum usque ad ultimos dies Erasmus manum iis apposuisset, fuere, sicut etiam *Colloquia*, "liber totius vitae", edita sunt in serie Batavica omnium Roterodami operum inter annum MCMLXXXI et annum MCMXCIII. Quae editio ex octo voluminibus constat, quibus accedit nonum et extremum, quo *Aphorismata* continentur. Ut inter omnes notum est, Chiliades hae, quas multi imitati sunt, nemo umquam superavit, non modo fuerunt liber quem omnes fere viri docti totius Europae inter saeculum XVI et XVIII aperte aut (postquam omnia Erasmi opera in indicem librorum prohibitorum relata sunt) clam praesto habuerunt et manu diurna nocturnaue versarunt, verum etiam usui fuit volentibus Latinum sermonem perdiscere; huc adde quod, ut semper, Erasmus iis quoque proverbiiis et callidis iuncturis commentario instruendis suas sententias de argumentis ad religionem, ad mores, ad res publicas, ad rerum historiam pertinentibus aperire non praeterivit, quamlibet speculatus occasionem qua erat εἰρωνεία corruptelam taxandi atque carpendi. Quamvis autem tam magni sit hoc opus momenti, nulla adhuc domus editoria Herculeum in se laborem suscipere ausa erat omnia illa Adagia non modo typis imprimendi (quod egregie Batavi fecere), sed etiam praefatione, commentariis perpetuis, indicibus ac praesertim interpretatione instruendi. Impulsore tamen N. illo Ordine, qui litteras Italicas in Bruttiorum Athenaeo profitetur, David Canfora et Aloisius Miraglia, non parva doctorum iuvenum virorumque adiuvante caterva, longum ac difficile hoc opus omni virium contentione perficiendum aggressi sunt, id unum sperantes, ne, quasi aselli nimio pondere gravati, sub tanto onere tandem concidant. Ex Academicis et Vivarii novi amicis

hisce libris typis Bompianianis edendis operam dabunt quam maxime sedulam Alexis Hellmer, Ignatius Armella, Ioseph Marcellino, Alexander Winkler, Claudius Piga et Iohannes Carolus Rossi.

Marii Pagani *Politicum universae Romanae nomothesiaae examen*, edentibus et commentario instruentibus A. Miraglia et H. Nikitinski; in Italicum sermonem interpretante A. Miraglia. Marii Pagani *Orationem ad comitem Orlov*, A. Miraglia edente et in Italicum interpretante.


Haec opera, quorum prius Marius ille Pagano, qui inter peritissimos iuris peritos et legum latores qui saeculo XVIII exeunte in Europa floruerunt habetur, cum nondum undevicesimum complevisset aetatis annum, conscripsit, alterum vero iam maturus, eo scilicet tempore, quo Ruteni Graeciam a Turcis liberare velle videbantur, commentario et interpretatione Italica ornata mox A. Miraglia et H. Nikitinski, typis Instituti Italici philosophiae studiis provehendis, edituri sunt. *Politicum examen* fuit quasi dissertatio, quam Paganus adolescentulus magnae spei ingentique eruditione praeditus, expleto fere studiorum Academicorum curriculo, exarandam curavit; multa ibi insunt argumenta et capita, quae postea fusius idem Paganus, adultus, in suis Commentationibus Politicis (*Saggi politici*) retractata, recognita et ampliata iterum edere voluit; nam, ut ex hisce scriptis apparet et exstat, res quasdam ad rem publicam gerendam bonique communis metam attingendam pertinentes numquam animo volvere cessavit. Qui quidem vitae pretio haec ardentia studia rependit: nam cum regnum Neapolitanum corruptum et a splendida magnificaque Caroli eius nominis III aetate desciscens viri docti (in quibus ipse Paganus numerabatur), Ecclesiae antistites et sacerdotes necnon homines de populo anno MDCCXCIX evertissent, rex, ubi primum, adiuvantibus Britannis atque perditorum hominum turmis, quos Ruffo cardinalis undique collectos conscripserat, res in pristinum statum restituere potuit, quamvis omnibus, qui rerum eversioni interfuerant, veniam sese daturum promisisset, fracta fide, ne uni quidem pepercit, at horrenda morte multavit.



De humanitatis occidentalis origine et fatis et de duabus viis quibus doctrinae sunt per saecula excoltae: liberis Academiis et Studiorum universitatibus. (Aloisius Miraglia)

Haec quaestio, quam delectus magistrorum in Academia versantium grex nunc ipsum tractare coepit, magna et non negligenda videtur esse. Nam primum conamur perspicere quae fuerint huius cultus et humanitatis, quam "occidentalem" vocamus, radices ultimae et origines; quae non in ipsa Graecia, neque in Asia aliisque plagis sunt perquirendae, verum in meridianis ipsius terrae Italiae regionibus, ubi Pythagorae scholam tam magnam vim ad animos informandos habuisse accepimus. Pythagoras enim acceptas fortasse a Pherecide Syro, a Cretensibus et ab Aegyptiis doctrinas, per Pythicam theologiam a quibusdam tenebricosis et Dyonisiacis elementis e cultibus initiisque *καταχθονίους* manantibus, ad eas lucidas rationes adduxit, quae humanitatis occidentalis peculiare insequentibus temporibus factae sunt. Ipse Mnemosynes cultus atque religio Orphica quam in Magna Graecia, praeter cetera, lamellae et bracteae aureae floruisse testantur, altius hoc consilio peruestiganda videntur, ut Pythagoreorum mentes et placita penitus curiosiusque intellegantur. Quod igitur Iohannes ille Pugliese Carratelli, qui nos quoque, usque ad novissimos longae suae vitae dies, saepe ad hanc viam ingrediendam multimodis exhortatus est, alique nonnulli viri docti iam facere sunt conati, id nunc Neovivarienses gradatim pro suis viribus tractandum suscipere volunt. Ex Pythagora, ut videtur, nisi omnes, certe plurimae ceterorum scholae profluxere, et ex eius circulo, quasi ex equo Troiano, meri principes exierunt; in quibus primum locum citra controversiam obtinet Parmenides Aminiae Pythagorei discipulus; qui, cum Athenas Zenone comitatus venisset, magnam, teste Platone, ad Socratis tunc iuvenis mentem informandam vim

habuisse dicitur. Si vera sunt, ut credimus, ea quae iam I. Burnet collegerat, Philolaus quoque, postquam in Graeciam venit, cum Socrate consuetudinem quandam inivit; cuius sane discipuli circa eum in carcere versantem et mortem sereno animo exspectantem stipati esse traduntur. Plato ex Pythagoreis, et maxime ex Archita, cum Italiam petiisset, doctrinas auditas accepit et adeo in sua transfudit opera, ut vix a altera ab alteris discerni possint. Praeter autem hanc longam Pythagorae hereditatem, quae per saecula usque saltem ad Romanorum tempora pertinuit, illud est in primis considerandum, quod omnes antiqui testes una voce consentiunt proprium ac privum fuisse Pythagoreorum vitae genus: constituisse magistrum veri nominis scholam ad quam uno discendi studio ac desiderio agnoscendae Veritatis accurrissent discipuli; hoc vero consilio fuisse hanc scholam conditam, ut homines meliores fierent et ad virtutes totam hominum societatem formarent. Post aliquot vero annos coeperunt in ipsa Magna Graecia rhetoricae artis ludi exoriri; non modo igitur antiquissimi illi rhetores, et artis ipsius conditor, qui Empedocles fertur fuisse, florere, verum etiam recentiores et notiores, qualis fuit Gorgias Leontinus, ad se allicere discipulos omnino alia de causa coeperunt: ut scilicet repentine per dicendi artem honorum curriculum transcenderent, et ad magna accederent rei publicae munera aut lucrum et commoda sibi hac ratione pararent. Haec duo scholarum genera quasi exemplaria fuere in occidentali rerum historia omnium ceterarum quae postea subsecutae sunt; exemplum enim Pythagoreorum *συνουσίας* imitatus constituit Academiam suam Plato; et quodammodo eius vestigiis insistentes, etsi saeculorum magno intervallo inter sese distantes, Cassiodorus Vivarium condidit atque Ficinus Academiam Florentinam; ita Aldo Manutius domi suae doctissimum quemque totius Europae hospitio accepit et Federicus Caesius duodeviginti annos natus Lyncaeorum sodalitatem congregavit. Fuerunt autem iam antiquitus scholae, ad quas ut accederent discipuli, spe magni lucri, honorum ingentium commodorumque non levium adducti, haud parvas pecuniae summas solvere erant parati; quae Media quae dicitur aetate brevi sunt factae quasi minores res publicae, in quibus qui disciplinas varias profiterentur quique totam Scholam regerent magna pollerent non modo auctoritate, sed etiam potestate. Tunc, posthabita doctrina, dominandi studium nimiaeque honoris libidines animos occuparunt; quales huius rei usque ad hodiernum diem, etsi alternis rerum et historiae vicibus, effectus sint, non est quin videat.



Ioannis Posselii *Calligraphia oratoria* quomodo docti viri Renascentium artium aetate linguam Graecam docere soliti sint. (Gerardus Guzmán)

Gerardus Guzmán, qui in *Vivario novo* et tirones et medii ordinis discipulos linguam Graecam docet, hanc quaestionem, patrocinantibus atque consiliis adiuvantibus eruditissimisque viris, qui in Publica Studiorum Universitate Mexicana litteras profitentur, tractandam aggressus est, ac Posselii opus illud ingens, plus nongentis paginis constans, edendum nunc curat. Agitur de immenso phraseologiae sermonis Graeci corpore, quo colliguntur probatissimorum auctorum qui Attice scripserunt verborum iuncturae secundum argumenta digestae et Latina interpretatione ac brevi commentario ornatae; quod vero opus Gerardus Guzmán cum ampliore de viis rationibusque investigatione copulabit, qua sibi proposuit demonstrare utilissimum quidem, non tamen satis esse, sicut quidam fecere, grammaticos libros et Ἑρωτήματα percensere quibus magistri sive Byzantini sive Europaei utebantur: quaestionis enim caput, ut aiunt, illud est, ut tandem intellegamus quonam pacto ex meris grammaticorum normis (quas, exemplum secuti humanistarum qui tunc fuere, brevibus compendiis complectebantur, modo Donati, modo aliorum vestigiis insistentes) ad linguae usum et ad absolutam sermonis notitiam discipulos adduxerint; quibus scilicet progymnasmatis, quibus exercitationibus, quibus libris usi id assequi possent. Excutiet igitur vestigator non modo ea quae ipse Posselius de hac re scripsit et edidit, in quibus *Oratio* de rationibus linguarum Graecae et Latinae docendarum, necnon *Formulae* numerandae sunt Erasimianae in Graecum conversae; verum etiam rimandi erunt commentarii, quibus iam Ficinus utebatur, ex *Hermeneumatis Pseudo-Dositheanis* descripti (quae Hermeneumata postea a Beato Rhenano

sunt primum publici iuris facta) at novis capitibus aucti; intelligendae erunt rationes, quibus Lexicon illius Varini Favorini, Politiani alumni et Hieronymi Amasaei magistri, compositum est; perscrutanda erunt testimonia, quae hic illic apparent in humanistarum operibus, ut Leonardi Aretini, Ambrosii Traversari, Ioannis Tortellii; penitus vero intelligendum erit quae fuerit methodus illa κατὰ φύσιν quam strenue defendere solebat Michael Apostolis; acta illius Νεακαδημίας φιλελλήνων quae Aldonis Manutii domi est condita diligenter erunt consideranda; opera Sebaldi Heyden, Iacobi Shirley, Francisci Gregorii et Iacobi Gretserii accuratissime pervolutanda; videndum praeterea quatenus Luciani dialogi impulerint ad praesentem sermonem exercendum; denique Iesuitarum studiorum rationes Comenianorumque operum, in primis *Orbis picti* et *Ianuae*, Graecae interpretationes non neglegendae.

Copula mundi (Ignatius Armella)

Recte quidem sentiebat Socrates, vir ab ipso Apollinis oraculo sapientissimus deputatus, cum prius animum humanis perquisitionibus applicandum esse autumavit, quam ad naturales quaestiones convertendum. Etenim non novum quoddam, sed antiquum illud atque altissimum praeceptum Delphicum rettulit, γνῶθι σεαυτὸν, quod philosophi sibi tamquam officium receperunt. Quid igitur sit homo quive hoc in mundo locus, inter ceteras dignissima quaestio philosopha videtur esse, praecipue cum non tam de rebus, quas natura nobis contemplandas apposuit, quam de eis, ad quas ipsa nos genuit, agatur. Itaque inter multa ac varia responsa, quibus sapientes hanc quaestionem absolvere conati sunt, hoc unum saepissime constat, hominem esse confluum et quasi utriusque naturae meditullium, scilicet mortalis divinaeque. Hoc iam apud Aristotelem, qui quidem hominem ζῷον λογικόν esse vult, necnon passim apud magistrum eius et alios Graecos philosophos inveniri potest. Inde ad nostrates, et postea ad humanistas, qui dicuntur, placitum emanavit, inter quos Picus in oratione de dignitate hominis apprime hanc sententiam multis testimoniis roboravit. Horum igitur aliorumque opiniones in dissertatiuncula singillatim proponuntur; attamen non solum ut eas excutiamus, sed praecipue ut quantam vim ipsae hominum animis iniecerint ostendatur necnon, quod potissimum est, ut quantum inde ad nostram aetatem reportari possit, ubi plerique homines, altioris naturae immemores, ex animali tantum sese constitutos putent et ideo ad ferinum victum descendere non dedignentur.

De civibus ad rem publicam per rhetoricam artem aut per καλλιτεχνίας informandis quid senserint Cicero et L.B. Alberti. (Eduardus Flores)

Iam ab antiquis temporibus illa pervasit opinio, artifices eo scitius perducere ad finem opera sua posse, quo magis accedant ad exemplar verum quod imitandum sibi proposuerint; iam enim Plinius autumavit optimum quemque fictorem eum esse qui apprime et adfabre mutum in simulacrum ex animali exemplo veritatem transferre valeret. Alberti vero eas rationes quae apud antiquos viguerunt renovavit et recoluit, quippe qui in operibus *De re aedificatoria*, *De pictura* et *De statua*, non solum ita tractatus disposuerit ut responderet placitis illis quae post Alexandrum magnum mortuum fuerunt (quibus praecipitur artem poeticam dividi posse in partes tres, quarum una in poeta, altera in carmine ipso sive poemate, tertia vero in poetica ipsa arte versetur), sed etiam etiam compensaverit normas et praescripta ab ipso de illis artibus tradita cum iis quae de arte oratoria Cicero exaravit; quibus quidem normis non solum harum artium doctrina, sed etiam institutis civilibus discipulus instruitur. Hac enim indagazione quomodo optimi cives non solum artis oratoriae cognitione et doctrina apud antiquos (teste Cicerone), sed etiam ceterarum artium scientia atque eruditione apud posteriores (teste Alberti) erudiantur et instituantur inquiritur, et in propatulo hoc collocabitur, quo pacto doctrinam cuiusvis artis, si ad vitam seu privatam, seu civilem usurpaverimus, corroborare possimus.



Ludovici Holbergii *Iter Subterraneum* (Petrus Rivera)

Inter eos qui saeculo XVIII opera sua scripserunt, Ludovicus Holberg (1684-1754) nonnihil ad Latinam eloquentiam contulit "in qua genus sermonis lucidum et acre coluit" (Nikitinski). Qui quidem apud Danos tam

magno habetur loco, ut a quibusdam Danicarum litterarum parens nominetur. Latine, inter alia opuscula et epistulas (in quibus tres praeclarae *ad virum perillustrem* de sua ipsius vita conscriptae numerantur), anno MDCCXLI aureum exaravit opus in saturae formam, Luciani, Thomae Mori atque Ionathae illius Swift vestigiis insistens; qui omnes suis in libris minus commenticias urbes et civitates describere quam veros mores hominum illorum temporum notare, carpere et emendare pro virili voluerunt. *Iter subterraneum Nicolai Klimii* autem, quod Holbergius sua in fabula narravit, fere nonnisi ab iis qui litteras Neolatinas tractare soleant est nostris temporibus notum; raro enim de eo opere mentio fit apud viros litteratos, et admodum paucae eius libri interpretationes in linguas vernaculas nostra aetate in doctorum virorum manibus sunt, quamvis iam inde a saeculo XVIII in Germanicum, in Danicum, in Gallicum, in Batavicum, in Anglicum sit translatus. Quem igitur nunc in Hispanicum quoque sermonem vertere commentarioque ornare non abs re duximus, ut etiam qui non ita multum in provincia Latina versati sint Holbergii gemmulam admirari et hanc sapidissimam aetatis luminum saturam summis saltem labiis gustare possint.

Quomodo Latini rerum scriptores aetatis barocae Rudolphi II tempora descripserint, quid de iis senserint (Georgius Cepelak)

Cum imperator Rudolfus eius nominis II tribus ante saeculis sedem in Bohemia haberet illiusque civitatis litterae artesque mirum in modum florerent, maximae ibi inter acatholicos numero multo maiores eorumque adversarios dissensiones sunt factae; inde paulo post bellum tricennale ortum, omnes in eandem fidem verbis, vi, armis conversi, multi mortui, multi velut Ioannes Amos Comenius, paedagogus inter viros illius temporis clarissimus, in exsilium profecti. Attamen non haec, sed opinionem investigare constituimus quam de illa tam pulchra tamque difficili aetate scriptores (in quibus sunt numerandi, praeter ipsum Comenium, Paulus Stranskii [1583 - 1657], Bohuslaus Balbinus S.I. [1621 - 1688], Thomas Ioannes Pessina de Czechorod [1629 - 1680], Ioannes Florianus Hammerschmied [1652 - 1735]), familia ac religionis confessione

diversi, nihilominus humanioribus litteris linguaque Latina coniuncti habuere; quorum alii alia lugent, alia extollunt, omnes patriam, litteras, humanitatem dilexisse videntur. Neque abs re etiam eorum artem scribendi perscrutari, comparare atque ad veterum exempla referre credimus.



De Thomae Mori *Utopia* (Patricius Owens)

Nemo dubitat quin Thomae Mori *Utopia* summum pondus magnamque vim ad Europaeorum hominum mentes per saecula informandas habuerit, atque inter prima obtineat loca in longa operum serie, quae ad litteras Neolatinas pertinent. Quingentis hisce novissimis annis, nullo fere tempore intermisso, philosophi, viri litterati, omnesque fere qui ad rem publicam tractandam accesserunt, illud palmare opus atque praeclarum excutiendum rimandumque suscepere. Nihilominus illud dolendum sane videtur esse, quod in scholis atque lyceis nonnisi raro, obiter et quasi per transennam aureus hic liber legitur, commentariis vestigatur, viva magistrorum voce explanatur; si praeterea eas consideraverimus scholas, in quibus opera lingua Latina conscripta perscrutantur, id vel magis conquerendum est, quod luculenta haec Mori fabula et litterarum Latinarum merum monumentum omnino a magistris discipulisque negligitur.

Hunc igitur nobis finem praestituimus, ut hinc pervestigaremus quomodo homines, qui Mori aetate fuerunt eiusdemque circulo intererant, *Utopiam* interpretati essent atque intellexissent; illinc vero saltem praecipuos ac potissimos operis locos magis pervios discipulis tractabilioresque magistris faceremus. Exploramus igitur an forte religiosam quandam et

peculiarem familiam exemplo sibi proposuerit Morus; conicimus enim eum primam saltem *Utopiae* speciem oculis ad Londinienses illius temporis Carthusianos conversis animo concepisse. Haud pauci enim viri docti iam pridem non solum quantam religiosae familiae ad *Utopiae* commenticiam vivendi rationem vim habuissent bona in luce collocarunt, verum etiam indiciis argumentisque allatis satis comprobarunt; nemo tamen, quantum scimus, usque ad hodiernum diem, si excipias vagos quosdam nexus cum *Regula* a divo Benedicto exarata, vincula in Mori opere invenire conatus est cum qualibet religiosorum virorum familia; attamen haud pauca nobis videntur esse, quae quodammodo eas normas eosque mores, quos in suo libro Morus describit, cum Carthusianorum vitae genere conspirent convenientque. Mirum enim est, ut investigationibus recenter factis apparuit, quam arte Britanni humanistae, qui dicuntur, cum Carthusianis essent saeculo XVI coniuncti, quantamque consuetudinem habuerint. Dum vero hanc coniecturam argumentis fulcire conamur, *Utopiae* locos Latinis adnotationibus glossisque instruimus copiosis, ut in scholis sine magna difficultate tractari possint. Quo autem pluribus et discipulis et magistris libellus, quem paramus, profuturus sit, id ante omnia exploravimus, quot et quae vocabula quasve grammaticae partes linguae Latinae tirones qui sive in Europa sive in America litteris student, primo anno ediscere soliti sint; deinde, hoc fundamento innixi, Mori non paucas paginas adnotationibus Latinis in margine positae necnon singularum linearum paraphrasi in calce adiecta ornavimus; denique orthographiam et punctuationem ad nostras consuetudines aptavimus. Hisce armis parati, magistri longe facilius eos thesauros, quos nobis Morus tradidit, discipulis suis aperire poterunt eiusque pretiosissimum opus commendare non dubitabunt.

DE CONVENTU AESTIVO C.N. MONUMENTA VIAEQVE

scripsit Gerardus Guzmán

Instituto Philosophiae studiis provehendis patrocinate, *Vivario novo* et opere fundato, cui nomen *Mnemosyne* foventibus, Sodalitate iuvenum antiquitati humanitatisque studentium, quae *PHILIA* compendiariis litteris inscribitur ordinante, eo consilio, ut produceretur et augeretur inceptum illud iam pridem conventibus omnium gentium quorum nomina *Docere* (qui habitus est Neapoli et Montellae anno MCMXCVIII), *Humanitas* (Neapoli, MMVII) et *Litterarum Vis* (Segedini et Budapestini, MMVIII) initum, novissimum nunc nec praeteritis minorem conventum celebravimus, qui *Monumenta viaeque* inscriptus est. Illud enim in animo fuit, ut hinc novas atque efficaciores rationes linguarum antiquarum docendarum proponerentur in memoriam honoremque Iohannis H. Orbergii (qui, verus restitutor Linguae Latinae iuxta naturae rationem docendae, supremum vitae diem nuper obiit), illinc vero disputationes minime steriles de monumentis litterarum agerentur, non secundum frigidam academicorum consuetudinem, sed argumenta eo modo tractando ut revera exploraremus quemadmodum doctrinae patrimonium a maioribus per rem publicam litterarum servatum ac traditum, potissimum in iuvenibus erudiendis necnon ad societatem meliorem reddendam adiuvari posset. Viri docti igitur convocati sunt ex toto orbe terrarum ut hanc mutationem, quae cum in scholis, universitatibus et academiis, tum in toto civili ordine atque in omnibus terris ad occidentem solem vergentibus desideratur, incrementis auferent, foverent ac promoverent.

Quantam praeterea vim atque pondus academiae ad cultum Europaeum provehendum habuissent hoc in conventu fuit etiam perpendendum. Illae enim in humanitate doctrinisque fovendis partem vel maiorem quam Studiorum universitates habuerunt, "tamquam incitamentum" ut ait Iohannes Henricus Newman ille "ad philosopham inquisitionem et mentem totius hominum societatis amplificandam". In his enim quaedam felix atque uber studiorum ratio orta est, qua fructus variarum disciplinarum eorumque cultorum ingenia animique arctissimo quodam vinculo coniungebantur; per eam igitur

rationem ad verum et utilem doctrinarum progressum est perventum. "Etenim cum libere in Academiis doctorum virorum animi consentirent conspirarentque," ut pulchre scripsit Marcus Fumaroli, "spiritus, redintegrata doctrina, litterae artesque liberales quae nunc sunt, suam invenerunt quasi aediculam, simul flexibilem et firmam, stabilem et mutabilem, quae eius frugiferae naturae conveniebat".

Quamvis, multis difficultatibus intervenientibus, non ante medium mensem Maium hunc fore conventum nuntiari potuissemus, non tamen minus quam ducenti homines ex universo terrarum orbe accurrerunt; quinque et viginti fuerunt moderatores, quorum singuli plerumque bina, terna aut etiam quaterna seminaria habuere; praeterea iuvenes magistri et discipuli Academiae nostrae, XV numero, exempla monstrarunt illarum docendi rationum, quas efficacissimas in nostris scholis saepe adhibere solemus, ac magistris lyceorum identidem usurpandas proponimus.

Orationes aditiales et primae sessiones habitae sunt in Europaeae Studiorum Universitatis auditorio, quod nobis ut occuparemur large erat concessum. Professores Michael von Albrecht



et Andreas Fritsch extemporales easdemque luculentissimas orationes habuerunt, quibus alter de vi atque momento litterarum in homines ad virtutes et bonos mores informandos locutus est, alter vero quanti ponderis sit bonis uti methodis in docendo multis exemplis ex rerum historia sumptis, et praesertim Comenii testimonio fultus, dilucide demonstravit. Quas orationes Aloisii Miraglia, praesidis nostri, longus ac vehemens secutus est sermo de necessitate renovandae et redintegrandae humanitatis, quae et in Athenaeis et in scholis saepe neglecta nimis videtur esse. Post brevem pausam, inter quam tragemata varia et potiones sunt appositae, postmeridiana sessio incohata est, quae ex ternis seminariis constitit; quibus ad finem adductis, symphoniam praebuit Eusebius Toth, olim discipulus, postea magister in Academia nostra, musicis quibusdam et concinentium grege adiuvantibus. Modi vero quos proposuit, ab ipso aliisque Academiae discipulis, ita aptati erant ad Catulli, Horatii Ovidiique carmina, ut versus, nequaquam mutatis numeris, suaviter cani possent. Quod quidem multi fecerant ante, etiam in usum studiosae iuventutis: ut, inter alios, Petrus ille Tritonius Conradi Celtis alumnus; nunc vero musicorum globus, qui in *Vivarii novi* sinu sub titulo *Tyrtarionis* constitutus est, idem omnibus viribus facere conatur. Insequentibus diebus participes, qui matutinis temporibus plerumque in ipsa Academiae sede seminariis interfuerunt de docendi viis, post meridiem amoenissima et magnifica loca visu digna petivere, ubi sessiones de litterarum monumentis variae et multiplices sunt celebratae: frequentarunt igitur Villam a gente Lante nuncupatam, cuius horti inter splendidissima renascentium artium aetatis viridaria quae in Italia sunt haberi solent; ibi de disciplinis liberalibus et honestis studiis, quomodo, iuxta Platonis illud (*Resp.* 560b), iuvenilium animorum arces custodiant disputavimus; dapibus denique in ipsis villae virectis appositis, vesperi opipare cenavimus.



Dominico die, post sacra celebrata et seminaria rite habita, omnes, prandio sumpto, Ostiam iter fecimus, ubi, cum parietinas Aloisio Latine singula monstrante lustravissemus (legimus tunc etiam et Senecae, et Minucii Felicis, et aliorum scriptorum locos), in Capitolii area constitimus Plautinam de Amphitryone comoediam, quam ibidem Latine edendam histrionum grex paraverat, magna cum expectatione nec sine gaudio spectaturi. Qua perfecta, ex antiquo ad mediaevale oppidum transivimus; ibi vero et templum invisimus, ubi divae Monicae sepulcralis asservatur lapis, et in amplis picturisque ornatis episcopii conclavibus cenavimus laeti. Die vero Lunae seminaria de historia radice vitae in Instituto Germanicis studiis provehendis, quod in villa a Sciarra nuncupata situm est, celebrata sunt; ibi praeclari professores Vincentius Cappelletti, Instituti praeses et Paulus Chiarini rector nos benigne exceptos aditialibus oratiunculis salutarunt: tum Curtius Smolak Vindobonensis, Bernardus Teuber Monacensis et Stephanus Di Brazzano Tergestinus, singuli singula seminaria moderantes, primam sessionem inauguraverunt, quam aliae duae, interposita pausa, subsecutae sunt. Martis die iam mane, sumpto ientaculo et Academiae aedibus relictis iter ad oppidum *Caprarolam* faciendum suscepimus, ubi situm est magnificum et amplissimum Farnesiae gentis palatium, ubi inde ab hora decima seminaria sunt celebrata. Ante meridiem de viis docendi locuti sunt exempla quoque proposuerunt scholarum et Academiae magistri et Annula Llewellyn, quae in Catholica studiorum universitate Viomingensi, ubi linguam litterasque Latinas proficitur, optimis didascalis rationibus miraperitia utitur; dein, postquam mirificum lustravimus aedificium, cuius camerae et lacunaria luculentissimis picturis sunt ornata, et de eius historia quaedam audivimus a Ioanne Carolo Rossi architecto Mediolanensi et Aloisio Miraglia narrata, per amoenissimos hortos usque ad aquarum salientium fontes per viam





ab infimo leniter acclivem ascendimus; denique, cum ad pulcherrimam villulam eleganti porticu ornatam pervenissemus, per scalaria quaedam posticam aedium partem assecuti sumus, ubi in amoenissimo prato cuppedinarii et ministri dapiferas apposuerant mensas copiose instructas. Fere sesquihora ita inter epulas et suavia colloquia consumpta, ad sessiones tandem hora quarta redintegrandas reversi sumus: tunc de civili vitae nostro officio, multis et variis locis ex auctoribus diversis propositis, acriter disputavimus. Vesperi vero histrionum musicorumque grex multiforme nobis et pulchrum praebuerunt spectaculum de renascentium artium ac litterarum temporibus. Fessi, sed gaudio repleti, Romam ad horam undecimam repetivimus. Die insequenti, post sessiones matutinas de Utopiis in Academiae sede habitas, post meridiem ad Hadriani villam Tiburi sitam iter direximus, ubi Ulixes Bravo, discipulus noster, imperatoris personam gerens, Margaritae illius Yourcenar locos in Latinum affabre et ornatissime a Ioanne Carolo Rossi conversos variis in villae locis recitavit; cuius vero recitationes iucunda et artificiose parata spectacula, quae saltatorum musicorumque grex dedere, secuta sunt. Vespere autem facto, participes omnes ad sic dictum "Sybillae templum" sunt vecti, ubi Maecenas quidam sapidam cenam praebendam curaverat. Diebus Iovis et Veneris (quibus de communi humanae naturae fundamento et de iuvenibus liberaliter ad humanitatem informandis, ut bonae litterae studiumque virtutis restituantur, necnon, sicut cottidie, de efficacissimis docendi viis rationibusque disputavimus) in Academiae sede mansimus, ubi sollemniter at etiam (post suavissimos modos musicos quos summa artis peritia maximoque omnium plausu Alexander et Raphael Feye una cum Paulina Caplier cecinerunt) inter ioca et festivos lusus conventus conclusus est, Saliaribus epulis apud natabulum appositis. Inter hebdomadam ita exactam innumeros scriptorum diversorum locos excutiendos, docto commentario explanandos,

curiose diligenterque perscrutandos suscepimus; qui omnes loci spisso quodam volumine a nobis edito continebantur. Inter auctores, quos rimari conati sumus, homines aetate, mente, doctrina, civitate admodum varii numerantur: in iis Diogenes Cynicus, Lucretius, Catullus, Cicero, Vergilius, Ovidius, Livius, Seneca, Petronius, Tacitus, Plinius iunior, Heliodorus, Symmachus, Prudentius, Augustinus, Boethius, Hidelbertus Cenomannensis, Gilbertus Novingentensis, Ricardus De Bury, Guilelmus Occam, Poggius Bracciolini, Leo Baptista Alberti, Picus Mirandolanus, Cassandra Fidelis, Erasmus Roterodamus, Ioannes Reuchlin, Ludovicus Vives, Ioannes Ginesius de Sepulveda, Luisius Legionensis, Petrus Angelus Bargaeus, Marcus Antonius Sabellicus, Iulius Caesar Stella, Ioannes Barclaius, Hugo Grotius, Matthaeus Riccius et Nicolaus Rigautius, Iosephus Ripamonti, Franciscus Baco, Ioannes Amos Comenius, Iacobus Pontanus, Ioannes Miltonius, Samuel Puffendorfius, Ludovicus Holbergius, Iacobus Elisa Ioannes Capitein, David Ruhnkenius, Franciscus Glass, Henricus Thompson, Augustus Boeckh, Ioannes Pascoli, pontifices a Leone XIII ad Ioannem Paulum II; longum erit ire per singula, neque hic est locus; attamen gravissimae quaestiones per hosce auctores tractatae sunt, quae inter participes non parum disputationum excitarunt. Viri et feminae doctissimi, qui ex Academiis et Athenaeis multarum Europae et Americae civitatum convenerant, praelectis illorum scriptorum paginis, voces sustulerunt suas, ut de lamentabili nostri temporis eruditionis statu cum Gilberto Novingentensi conquererentur, quaenam sit vera hominis dignitas cum Ovidio et Pico explorarent, quomodo possimus nostri compotes fieri cum Seneca viderent, de argumentando per absurdum ad veritatem rerum demonstrandam cum Lucretio dissererent; praeterea de amicitia cum Miltonio et Graecarum fabularum scriptoribus cogitarunt, de bonis et malis quae



MERCVRIVS

civibus exoriri possint cum Ripamonti disputarunt, suos cum orientalium gentium moribus Matthaeum Ricci et Ioannem Petrum Maffei secuti contulerunt, de veterum et eorum qui nunc sunt servitute cum Iacobo Capitein sermones ceciderunt, num iustum umquam dici bellum possit Augustinum, Erasmum, Sepulvedam et Hugonem Grotium interrogarunt, de hominis et civis officiis Ciceronis, Prudentii et Puffendorfii vocem auditam perpenderunt, de doctrina, quam socialem vocant, cum Ecclesiae pontificibus variis disseruerunt; praepostera illa grammaticorum diligentia quam molesta ac ridicula sit cum Davide Ruhnkenio et Ioanne Menckenio denique perspexerunt.




SEMPER AUCTA AT SEMPER EGENA

sive de bibliotheca *Vivarii novi*

scripsit Ignatius Armella


Ut aquarius, qui ad flumen adventat, aquam puram salubremque in totius domus beneficium hydriis reportat, ita litteratos doctosque viros fecisse censemus omnes, quicumque doctrinam seu antiquitus traditam seu recentius inventam litteris mandaverunt, ad efficacius hominum animos de ipso Veritatis fonte irrigandos. Quapropter hac in Academia nullum thesaurum pluris quam nostram bibliothecam ducimus (eorum utique pretio aestimabilium), siquidem in ea non modo comites ac via, sed ipse aditus ad veterum sapientiam nobis manifestus fit. Curiose igitur ac diligenter iam plus XV annos multi homines eam locupletare elaborarunt, sed, ut par erat, semper egenam fore atque perpetuo perficiendam agnoverunt. Quid ita? Ars nempe nimis longa quam ut brevibus spatiis artetur. Attamen Fortuna secunda necnon Legionariis Christi adiuvantibus bibliotheca Neovivariensis, cuius volumina totam per domum sparsa fuerant tum, cum Montellae versaremur, anno nuperrime peracto maximo emolumento aucta est, quandoquidem laribus Romam translatis locum libris ac studiis prorsus aptum in novis aedibus deputavimus, tria conclavia scilicet admodum capacia ac spatiosa. Haec igitur, ut decenter ad nostrum inceptum accommodaremus, pegmatibus cum vetustis, quae iam pristina in sede habueramus, tum novissimis necnon elegantibus utrimque instruximus, ubi nunc quadraginta ferme milia librorum studere cupientibus commodato proponuntur. Mensas, scrinia ac stibadia quoque attulimus et ordine disposuimus, quo discipuli commodius suis studiis vacent.

Itaque bibliothecam omnem in tres partes dividi visum est, quarum potissima et a discipulis maxime frequentata est illa, quam *delubrum Musarum* familiariter nuncupamus. Ibi enim dilectissimus quisque ex poetarum, oratorum philosophorumve corona, quicumque Graece seu Latine quavis memoria scripsere, quasi in Elysii simulacro una commorantur. Ibi Ciceronem, oratorum principem, pariter atque Erasmus, qui eadem dignitate inter humanistas mactatus



est; ibi Platonem ac Ficinum, Aristotelem una cum Thoma Aquinate, Augustinum, Petrarcam et multos alios, quos enumerare longum erit, invenire possumus eosque iterum iterumque adimus sententiam de multis ac variis argumentis rogaturi. Illi, mehercules!, pro sua humanitate accincti ad respondendum semper erunt, nam parietes huius fani vocibus eorum, ope quidem litterarum perennatis, alte personant: nimirum in libris, ut recte ait Richardus de Bury, mortuos quasi vivos invenimus.

Huc enim accedunt omnes illae series, quas summa ope colligere nixi sumus, ut praeclara illa Gallica omnium scriptorum Latinorum, Ludovici huius nominis XVIII iussu a *Nicolao Eligio Lemaire* foras data, quippe utilissima discipulis qui ex aliis terris huc veniunt aliisque sermonibus loquuntur, cum singula opera lingua Urbis et orbis sint etiam explicata. Itidem illa nullo prorsus modo minus digna collectio Latinorum scriptorum a *Iosepho Pomba* in Italia edita cum notis, magnum nempe praeclarumque illius gentis editionum specimen; tum *Scriptorum Classicorum Bibliotheca Oxoniensis* (*Oxford Classical Texts*), maximi quidem nominis atque apparatu critico laudata; dein maior pars scriptorum utriusque linguae ex serie *Budaeana* (*Les Belles Lettres*), doctis quidem praefationibus necnon elegantibus interpretationibus enarrata; denique nonnulla volumina Graecorum scriptorum ab *Ambrosio Firmin Didot* saeculo XIX edita, quibus interpretationes Latinae



accedunt ideoque, ut lector in utraque lingua sese exerceat, maxime proficua. Hanc quidem bibliothecae supellectilem nobis comparavimus non sine crebris largitionibus tum amicorum tum aliarum institutionum, inter quos numerantur Michael de Albrecht, qui pretiosis voluminibus nos donavit, et Pontificia Universitas Salesiana, unde hocce proximo biennio nonnullae prorsus gazae librorum ad nos pervenerunt, necnon Schola Lutetiae Parisiorum sita vulgo "Normalis" nuncupata, ex qua haud paucos libros illius seriei Budaeanae supra dictae accepimus.

*Si quid librorum mundus tulit arte recenti,
aetas librorum si quid adulta tulit,
gnava senectutis vel si quid cura reponit,
et quam Palladio munere foeta typi;
hic velut in tabula depictam cernere et uno
obtutu ferme quamque notare potes.*

Antonius a Bylert

Quid autem dicam de exemplaribus vetustioribus, quae praeter utilitatem doctrinarum hancce bibliothecam quodam antiquitatis decore ac nitore honestant? Quotiescumque eos evolvimus, varios admodum et alios alias editos, illud nempe, quod de Ennio ait Quintilianus, succurrit: nobis enim sacros vetustate lucos ingredi videmur. Atqui ne species horum roborum, grandium et antiquorum, ipsorum religionem non adaequet, hoc qui adhuc transit anno grex bibliopegorum praepositus est. Etenim Thomas Jenis Bohemus, Matthaeus Pustrelo Brasilianus et Petrus Donohue Americanus, duce Iohanne Michaelae McGrath (Americano et illo) qui omnes hoc anno ut discipuli apud nos commorantur, tantam et tam reverendam librorum copiam partim reficiendam, partim vero a temporis vexationibus defendendam sua sponte sibi susceperunt. Itaque inter tales libros, quos singillatim non opus est numerato, insunt omnia divini Platonis opera, Marsilio Ficino interprete, anno MDLI in lucem apud officinam Frobenianam edita; Iunii Iuvenalis Aquinatis satyrographi opus apud Franciscum Bindonum & Mapheum Pasinum editum anno MDXLVIII; dictionarium septem linguarum a Calepino anno MDCLXIV typis impressum et multa alia tum scriptorum opera tum adiumenta admodum pretiosa.

Verum enimvero non tantum Antiquitatis splendore hoc Musarum sacellum collustratur, sed etiam scriptores omnibus ex gentibus oriundos, quippe omnes qui, licet vernacule, cunctum genus humanum sua arte ad maiora irritaverunt, huc congregatos libentissime atque assidue lectitamus eorumque colloquio instituimur simul atque delectamur. Nimirum horum maior pars



MERCVRIVS



in Italicum conversa est, attamen haud exilis est copia operum aliis sermonibus conscriptorum, quam quidem speramus progrediente tempore fore maiorem. Hoc igitur quasi vinculum cultus et humanitatis, a maioribus ad recentissimos, gradatim implicavimus, pro fide ac studio quod hoc in communi patrimonio iam pridem collocavimus, inde scilicet fruges uberrimos primum ad hominum mentes animosque, exin ad cunctam hominum societatem posse excerpi nobis apprime persuasum habemus. Profecto huc ad illum sapientiae fontem sitibundi saepius venimus, ut insitum sapientiae desiderium expleamus.



Varietas autem delectat nec alias provincias, non quidem a minore, sed a diversa tantum Musa habitatas, explorare ullo modo dedignamur. Immo tanti scimus eas esse ut propriis locis constituere voluerimus. Itaque in secunda bibliothecae parte trivium quoddam compositum e rerum gestarum historia, religionum investigatione ac philosophis doctrinis locum habet. Qui omnes libri eo minus spatio ab antea dictis distant, quo propinquiores sunt materia. Alibi vero naturalis historia, de qua copia librorum item haud parva adservatur. At quorsum haec? Quid litteratis hominibus cum beluis ac stirpibus? Nimirum ut per ea non modo qualis homo, sed prorsus qualis eius sedes, hoc quidem mundi mirabile opificium ac machinamentum divinitus exstructum, penitus exploremus, nam Veritas non ordinibus localisve discriminat, ut in bibliothecis facere cogimur, sed tamquam immensum quod tegit omnia caelum, cuncta sic amplectitur et undecumque ad sinum suum homines attrahit.



Hactenus igitur de bibliotheca nostra, quam summis tantum labris adumbratam vix in charta adeo brevi executi sumus. Sententia tamen est, ut omnes bibliothecas decet, catalogo electronico describere singulos libros qui hic adservantur, quod non sine negotio ac maxima opum effusione perficiendum fore scimus. Ceterum librorum copiam identidem amplificatum iri speramus, quare vos omnes, amici ac benevoli lectores, pro vestra humanitate atque erga litteras studio rogamus, oramus, obsecramus ut, si quid operis aut opis vobis sit superadditum aut quo nostrum litterarum hortum locupletare velitis, id ad nos mittatis. Nos quidem omni modo evitabimus ne Adonidis hortis inutilior fiat, quod ipse Plato in Phaedro ut caveamus nos admonet, sed potius summis viribus contendemus ut, diutino convictu atque solito erga cultum et humanitatem, qui nos incitat, fervore, semina illa in animis iuvenum funditus serantur, radices agant et in quam uberrimas fruges proveniant.



QUOMODO VERSIBUS LATINIS VITA INFUNDI POSSIT?

scripsit Eusebius Toth

PARS I. QUORSUM CARMINA LEGAMUS

Quorsum carmina legimus? Ampla haec fortasse et nimis infinita quaestio, quam tamen sibi quisque magistrorum proponere debeat, si quando discipulos poemata legere iubeat. Quod si hic magister linguam praecipiat Latinam seu litteras cuiuslibet gentis, quae tam longo a nobis temporis intervallo disiuncta sit, eo acutius hanc quaestionem perpendat oportet. Delectationi enim merae aut causis moralibus, quae ceteroquin potissima nobis videantur argumenta, hisce in litteris antiquioribus multi sentiant opponi illa duo milia annorum, quibus non solum iudicium atque mores, sed etiam vita ipsa, etiam mens hominum funditus mutata est. Remaneatne igitur sola inquisitio historica, vel dumtaxat consuetudo quaedam eaque vana et iam pridem obsoleta, quibus de causis veterum carmina etiam nunc manu evolvere soleamus? An ulla exstat praeter has ratio vera et iusta, cur antiqua carmina adhuc legantur? Relinquamus nunc hoc interrogatum in dubio, quod extra modum mentem gravare videatur, et fingamus nos, mirum quoddam theatrum ingressi, concentui pulcherrimo intervenisse. Consideramus ergo et aures attendamus nostras. Iamne auditis? In medio nunc stat rex David, citharae suae nervos digitis divinitus instinctis pulsans. Et dum hic fides moderatur, ex improvise alia exsurgit melodia, atque in scaena Orpheus apparet, lyra sua mirifica caelo canens laudes. Et ecce, duae hae voces non iam inter se divergunt, sed gradatim conciliatae atque contextae, varifariis instrumentis, quae hinc illinc plura pluraque progrediuntur, mirandum in modum ditantur ornantur amplificantur. Sic illi duo, quos audivimus primos edidisse sonos, chorum nunc ducunt omnium poetarum, qui eorum vestigia sequuntur, solem spectantes occidentem.


Nonne tali operi musico similis est historia nostrarum litterarum? Nam, etsi themata, ut aiunt, primigenia semper variantur et provehantur, unum est opus nihilominus, quod mutando meat per decursus saeculorum. Itaque, si quis principium atque origines huius operis cognoscere velit (non solum, ut multi dicunt, historicae veritatis gratia, sed etiam ut e formis identidem variatis melodiam exaudiat veram, quasi vocem et spiritum vitae humanae),

nonne eum regredi oportebit per tempora, ubi speret chordas adhuc primos resonare pulsus?

Dixerit sine dubio quispiam, nobis ad-versaturus, litterarum initium inveniri nullo modo posse, artemque nimis longam esse pro nostra vita; cui tamen respondeamus per simpliciora (sicut sunt litterae priscae, quae tempus, omnium rerum edax, nobis reliquit) facilius perveniri ad rerum medullam usque, poesi vero recentiorum aetatum, quae inter varias gentes magis magisque contextitur atque complicatur, delectari potius et diverti legentis animum posse.

Neque dico nos vetustis hisce carminibus gaudere non posse, et esse haec insipida omnique venustate carentia; immo vero sapiunt, sed aliter: velut aqua frigida, qua non sensus titillare seu excitare, sed sitim lenire aut extinguere cupimus.

Plures fortasse quaestiones hisce lineis proposuimus quam ut brevi hac symbola nostra resolvere possimus. Argumentum enim hoc materiam paene infinitam neque iusto volumini, sed integrae bibliothecae conscribendae suppeditare videtur. Singillatim igitur atque gradatim de iis proximis in horum commentariorum fasciculis agere eademque pro virili perpurgare conabimur. At unam fortasse ex iis, quae maxime nostris cottidianis docendi muneribus accedit, tractare non displicebit...



PARS II. DE VERSIBUS LEGENDIS

Curnam obstacula cumulamur discipulis, qui fontes priscos investigare velint? Quare in auditoriis scholasticis amarum reddimus studium antiquarum litterarum (et inter eas praecipue poeseos), cum eas res, quae iam per se difficile intelleguntur propter linguam mentemque antiquam, inepte commiscemus cum doctrina artis metricae, quae longe etiam differt a moribus versificandi plerarumque recentiorum linguarum? Hoc modo discipuli, ut Iohannes Baptista Pighi quoque, vir doctissimus, admonuit, tantummodo confundentur atque horrebunt, cum videant "ibi *hominēs* sonare, quod alibi *hōminēs, canō*, quod *cāno*, aliaque summa admiratione digna vocabulorum monstra"(1).

Nonne nefas est magistrum, qui per artes ad verum, iustum et bonum animos iuvenum dirigere cupiat, artificiosa hac ratione legendi a versibus omnino detertere discipulos? Neque id contendo, huncce modum scandendi nullum habere locum in cursu studiorum; immo, ipsi grammatici Romani, Prisciano teste (2), hanc adhibebant rationem, non tamen passim, neque pro lege eam habebant; quae pronuntiatio, ut patet, non ultra artis metricae scholas valuit, in quibus discipuli inter elementa rythmica ea prorsus de causa distinguere iuebantur, ut postea ipsi versus componere conarentur.

An hiccine sit finis eorum, qui nunc quoque temporis carmina ita scandi volunt, valde dubito, sed equidem mallem nihil nosse de rebus metricis, quam de longitudinibus syllabarum curare in quovis carmine taedioso, cuius neque sensum capere, neque illud ad vitam meam referre ullo pacto possim. Itaque non est mirandum, si videmus versus Horatii, Vergilii, Ovidii aliorumque poetarum sive neglegi, sive a sincerioribus quibusque ita praelegi, quasi sint verba soluto calamo composita. Quod si faciunt, nequaquam eos reprehendere debemus: nam haec est via brevissima, qua sensus patefiat. Quem ut omnino assequamur, vestigiis insistendum est eorum, qui, per multa saecula, cum adicerent maiorum poematibus adnotationes suas (sicuti in illis libris in usum delphini editis), ante

omnia sententias in versus compactas explicaverunt verbaque poetica ad cotidianum sermonem redegerunt. Si vero demum belle omnia explanata sint lectori, qui ad intellectum iam proxime accesserit, hoc unum remanebit rogandum: cur ergo talia versibus conscribere oportebat? Neque hoc nefande. Nam quare erat necesse poetas verba longissime petere, iuncturas verborum dissecare, sententiasque miris modis contorquere, cum videlicet planius idipsum dicere poterant? Quid porro implicare quod fuerit simplex? Iam dicat nobis aliquis: quorsum carmina exstant?

Antequam autem a quibusdam accuser, et haud iniuste quidem, me nimis magna atque ponderosa simul suscepisse tractanda, concedo me ad hanc quaestionem responsum dare non

posse. Tamen ut discipulorum ferventes animos paulum placemus, liceat aliquid fortasse tritum, satis tamen manifestum proferre: scilicet genus lyricum inventum esse, non ut ratio cogitatioque, sed ut corda animique hominum tangerentur. Sive aliter: carmina ideo scripta sunt, ut canerentur. Haec sit ergo causa, cur verba subdita sint formae, haec causa, cur sensus numeris oppressus sit. Et inde fit ut carmen (cuius ipsum vocis veriloquium (3), quod apud antiquos fuit, indicat mentem cuidam animi aestui cedere) sensus et corpora prius invadat, atque e nobis motus eliciat; ut in auribus adhaerens, ac per venas inserpens usque ad cerebrum se insinuet; unde

singillatim verba in sucum et sanguinem transeant, inque res nostras convertantur, quas per vitam gesturi sumus. Hic latet carminum maxima vis; haec est via, qua Melpomene, Mnemosynes filia, matri subministrat. Verba enim atque documenta, sine forma bene stricta et aptata, aegre in memoria recondi possunt, atque mente difficilius pervolvuntur. An ecquis unquam vidit Melpomenen sine lyra? Carmina scripta sunt nempe ut canerentur (4).

Sed quid tum de versibus antiquorum poetarum, qui delapsu saeculorum modis musicis omnino destituti sunt? Quomodo illos, quos ipse poeta olim choro praecinuit (5), poterimus iterum restituere? Id fortasse numquam iam licebit. Sed quidni nos ipsi Musam resuscitantes ratione quadam modoque nostro haec carmina canamus, ita ut nec aures



TYRTARION

insolitis quibusdam atque miris modulationibus abhorreant, neque tamen a verbis nos nimium aberremus? Hoc vidimus fieri iam ea tempestate, qua artes in Europa renatae sunt, multique musici, periti admodum et magni nominis, sicut Conradus ille Celtis, Petrus Tritonius, Iohannes Honterus (6) multique alii (7), carmina resumpsere antiqua, eaque ad placita musica suorum temporum in discipulorum usum reconciliaverunt.

Et hoc ipsum nos quoque -pro modulo sane nostro, et sine magna arte et doctrina- cepimus consilium, ut facillimis illis cantilenis, quas partim nos ipsi commenti sumus, partim vero ex humanistarum libellis aut e fontibus vulgaribus hausimus, regulas metricas observantes, imprimis et praecipue versuum sensum conservaremus. Mediam viam canendo ita invenire temptavimus, caute, ne numeri et ictus, qui in serie verborum versus designant, in manibus nostris non sat sollertibus hebescerent seu perirent; argute tamen et intrepide, ut sententias vocesque singulas eo modo acueremus et pronuntiarem, prout sua cuiusque natura sensusque communis fert. Quodsi attingere valuerimus, atque hisce nostris cantiunculis non modo ad tradendas res metricas, sed etiam ad neglectas litteras relevandas opem tulerimus, fuerintque adhuc, qui sua sponte carmina veterum resonant, tunc sciemus nos oleum operamve nequaquam perdidisse.

Haec igitur sunt carmina, quae iam modis musicis instruximus:

Invocatio Veneris (Lucretii fragmentum ex I libro operis, quod *De rerum natura* tractat, versus 1-9; qui sunt hexametri)

"Tityre tu patulae recubans..." (Vergilii fragmentum ex I ecloga, versus 1-5, qui sunt hexametri)

"Nerine Galatea" (Vergilii fragmentum ex VII ecloga, versus 38-41, qui sunt hexametri)

"Cum subit illius" (Ovidii III carmen e I libro Tristium; versus 1-24, qui sunt disticha elegiaca)

"Vivamus, mea Lesbia" (Catulli V carmen; conscriptum versibus hendecasyllabis)

"Lugete, o Veneres" (Catulli III carmen; conscriptum versibus hendecasyllabis)

Ad Sirmionem paeninsulam (Catulli XXXI carmen; conscriptum versibus choliambis)

"Diffugere nives" / Ad Torquatam (Horatii 7 carmen libri IV; conscriptum strophis Archilochiis, huiusque nominis primis)

"Ille mi par" (Catulli LI carmen conscriptum

strophis Sapphicis)

"Φαίνεταί μοι" (Sapphus XXXI fragmentum; conscriptum strophis Sapphicis)

"Est mihi nonum" / Ad Phyllidem (Horatii XI carmen libri IV; conscriptum strophis Sapphicis)

"Rectius vives" / Ad Licinium (Horatii X carmen libri II; conscriptum strophis Sapphicis)

"Aequam memento" / Ad Dellium (Horatii III carmen libri II; conscriptum strophis Alcaicis)

"Quis desiderio" / Ad Vergilium (Horatii XXIV carmen libri I; conscriptum strophis Asclepiadeis huiusque nominis primis)

Altercatio cum Lydia (Horatii IX carmen libri III; conscriptum strophis Asclepiadeis, huiusque nominis tertiis).

Adnotationes

1. Iohannes Baptista Pighi in pagina 140. operis, quod *De libro Aeneidos VI quae est catabasis Aeneae* conscripsit, quodque Romae, a. MCMLXVII ex Pontificio Atheneo Salesiano est editum.

2. In Partitionibus XII versuum Aeneidos, Gramm. Lat. III. p. 461K.: "*Scande versum: armavi rumqueca nostro iaequi primus ab oris...*"

3. Ut Isidorus Hispalensis ait in Etymologiis suis (I.39.4.): "*Carmen vocatur quidquid pedibus continetur: [...] quod qui illa canerent carere mente existimabantur.*"

4. De hac re longa et vexata quaestio a philologis agitata est, saltem iam inde ab eo tempore, quo Otho ille Jahn eam proposuit (cfr. *Wie Wurden die Oden des Horatius vorgetragen?* in "*Hermes*" II [1867], p. 418-433); attamen iam a. MDCCCXLVII Carolus Ch. J. Kirchner, in opere, cui index *Novae quaestiones Horatianae* (Littfas, Naumbergiae, p. 64), ita scripserat: "*Quamobrem nihil aliud statuere possumus, nisi Horatium omnia sua carmina lyrica eo consilio composuisse eamque formam metricam iis induisse, ut ad lyram, si non omnia cantarentur, at certe cantari possent*". Alii aliter senserunt: attamen nobis satis est longam sequi consuetudinem, quae saltem inde a Media aetate usque ad recentiora tempora invaluit.

5. Horatius enim in VI carmine IV libri odarum hisce verbis gregem concinentium exhortatur: "*Virginum primae puerique claris / patribus orti [...] Lesbium servate pedem meique pollicis ictum, rite Latonae puerum canentes...*" Unde intelligere possumus poetam pollice suo fides pulsans sua ipsius carmina canere docuisse chorum. Neque dubitandum est quin proposuerit carmina sua musurgis qui forte vellent iis aptare modos, cum ipse dixerit: *verba loquor socianda chordis* (Od. 4, 9, 4), et etiam: *verba lyrae motura sonum conectere digner* (Ep. 2, 2, 86).

6. Conradus Celtis (1459-1508); Petrus Tritonius Athesinus (1465-1525); Iohannes Honterus (1498-1549).

7. Ludovicus Senfl (1486-1543), Petrus Hofheimer (1459-1537), Matthaeus Collinus (1516-1566), Iohannes Crusius (1580 ca.), Martinus Agricola (1500 ca.-1556).

DE RAMIS CADUNT FOLIA

sive de varia linguae Latinae in Ecclesia fortuna

scripsit Alexis Hellmer

Cum denique catholica Ecclesia, utpote a Christo Domino condita, inter omnes humanas societates longe dignitate praestet, profecto decet eam lingua uti non vulgari, sed nobilitatis et maiestatis plena.

Ioannes xxiii, Veterum sapientia

Cum ante hos L fere annos, provido Ioannis XXXIII P.M. consilio, Constitutio prodiit Apostolica quae initium capit a verbis "Veterum sapientia", novam quandam studiisque humanioribus felicissimam aetatem ipsa auspicari videbatur: adeo magna et potenti voce bonisque quasi lateribus documento illo, quod diximus, in ipsa Petri Cathedrae sollemnitate, Vicarius Christi est cunctam Ecclesiam adlocutus; quin etiam, Constitutio illa, *quasi quaedam praenuntia aurora* (1), visa est tempora portendere futura quae patrimonium non doctorum virorum modo, sed omnium Christianae rei publicae civium, clariore luce collustrarent. Nam, licet Romana Ecclesia, decursu saeculorum, per tempora etiam obscurissima, diligenter veneranda illa studia curare perrexerit, nemini dubium est quin exstent quaedam rerum humanarum vicissitudines, quibus fit ut ea, quae aetate quadam ad sidera extolluntur, insequenti deprimantur aevo, saepe neglegantur, novisque rebus in hominum societatem inductis penitus oblitterentur.

Summorum tamen Pontificum cura, etiam nostrorum parentum memoria, talis fuit quae nullo modo humanitatis cultum in oblivione sineret iacere. Etenim, saeculis praeteritis cum viri doctissimi, qui studio vero ad disciplinas liberales rite colendas adducerentur, minime defuerint, in ipso Ecclesiae sinu plurimi exstiterunt qui sive nullo pietatis detrimento, sive magno etiam religionis incremento, Camenam variis modis exercerent. At saeculum quod huic proxime antecessit, cruentissimis bellis afflictum novoque rerum ordine conturbatum, saepe visum est hostili vultu Musis, tamquam sensu et utilitate carentibus, acerbius minitari. In quo discrimine, cautio fuit atque provisio Sanctae Sedis ne hereditas a maioribus tradita omnino pessum daretur, tantaque sunt Instituta, nutu Pontificis, exorta, quanta rei gravitas postulare videbatur. Unde primum, auctore Pio XI, peculiaris Schola litteris Latinis tradendis apud Athenaeum Gregorianum, dein, Pauli VI iussu, Pontificium Institutum Altioris Latinitatis apud Athenaeum Salesianum, Opus denique Fundatum cui nomen "Latinitas" in Civitate Vaticana constitutum est. (2)



Quae omnia id potissimum habuerunt praestitutum, ut Romanorum sermonis usum proveherent in informandis cum sacerdotibus tum sacrorum alumni nec non aliis ex laicorum ordine iuvenibus. Sapienter admodum rationes studiorum, quibus facultas loquendi scribendique saepe exerceretur, sunt ex humanistarum, qui dicuntur, operibus desumptae et in usum receptae; farrago vero philologa, tamquam inutile pondus, radicitus e curriculum amputata. Sic enim perspicue legitur in Ordinationibus quae Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus adiunxit Constitutioni Apostolicae a verbis "Veterum sapientia" incipienti, ubi talia scripta sunt: *Ratio docendi Latinam linguam sit oportet ad eius usum assequendum accommodata. Quare nimia illa philologica farrago, quae in scholis litterariis, altioribus praesertim, prope una viget neque optatos fert huius studii fructus, amputanda erit atque ad veterem docendi rationem redeundum.* (3)

Nec mora: ex tali semente fructus uberrimi provenire coeperunt, qui non modo ecclesiasticam institutionem verum etiam universam litterarum disciplinam mirifice ornaverunt. Quis enim est litteris Latinis aliquantulum imbutus qui non audiverit de Carolo Egger vel de Aemilio Springhetti inter eruditos aliquando disputari, ut missa faciam alia nomina praeclara, quae sunt adhuc et semper erunt in ore intellegendum. Quibus viris Romana Ecclesia gradatim orbata et destituta, alteram quasi eruditorum fecit messem, nullo modo spernendam, quae ingravescenti necessitati subveniret. Quot iuvenes tam religiosi quam laici, egregii nunc Latinitatis cultores, illa disciplina informati sint vix est opus dicere, cum pateat permagnum esse eorum numerum. At recentissimis temporibus ex illis consiliis et institutis quaedam, quae multa ob merita servanda et summo erant honore colenda, in quibus Certamen Vaticanum et Opus Fundatum Latinitati deputatum, dolenter vidimus minui et propemodum deleri.

Quamquam enim Benedicti XVI pontificatus plurimum contulit ad Latinitatem in sacris muneribus redintegrandam, nondum tamen satis magna vi litterarum studia sunt in Ecclesia renovata. Silent igitur iam voces quae olim in Pontificiis Athenaeis Latine tam divina quam humana docebant, et ipsa Apostolicae Sedis documenta, quae non ita pridem elegantissimo stilo enitebant, nunc in linguam Latinam, quam Pius XI dicere vere catholicam non dubitavit, fere perfunctorie transferuntur. Spes tamen est ut mox omnium, quos tangit sacrorum cura, et eorum praecipue, qui pastoralis munere funguntur in Ecclesia, oculi ad imminens sibi periculum convertantur, haud immemores illius Lactantii sententiae: *neque religionem ullam sine sapientia suscipiendam esse, nec ullam sine religione probandam sapientiam* (4). At fuerunt tempora illa Christianae fidei maxime adversa. Quid ergo? Num nostra aetas reapse magis propitia videtur esse? Quod si tunc oportuit assidue in certamen descendere et omnibus excellentioris Minervae armis luctari ad defendendum et propagandum Evangelium Christi, haud secus agendum est nunc temporis, sed eo vehementius quod ubique maiorem in dies omnium institutorum neglectum, immo despectum videmus praevalere.

Id ipsum Ioannes XXIII dilucidis verbis significavit cum *pro dolor* -inquit- *sunt sat multi qui mira progressionem artium abnormiter capti, Latinitatis studia et alias id genus disciplinas repellere vel coercere sibi sumant... Hac ipsa impellente necessitate, contrarium prosequendum iter esse putamus. Cum*

Non autem agitur hic tantummodo de retinendo in officio choralis eloquio latino, sane digno, quod, nedum parvi fiat, alacriter custodiatur, cum sit in Ecclesia Latina christiani cultus humani fons uberrimus et locupletissimus pietatis thesaurus... Non parvi pendenda sunt instituta maiorum, quae per diuturna saecula vos ornabant.

Paulus vi, *Sacrificium laudis*

Latinae linguae usus, ut apud magnam Ecclesiae partem viget, perspicuum est venustumque unitatis signum, ac remedium efficax adversus quaslibet germanae doctrinae corruptelas.

Pius xii, *Mediator Dei*

prorsus in animo id insideat, quod magis natura et dignitate hominis dignum sit, ardentius acquirendum est id, quod animum colat et ornet, ne miseri mortales similiter ac eae, quas fabricantur, machinae, algidi, duri et amoris expertes existant. (5) Ad quod fatum tunc temporis sensim pedetemptimque, hodie vero, quamvis inviti, celeri tamen gradu accedere videmur. Enimvero ferendum hoc quidem non est, sed navibus, ut aiunt, et quadrigis fugiendum. Romana namque Ecclesia, quae bonas artes per saecula curavit alendas, honestissimum hoc Latinitatis patrimonium, hunc *thesaurum incomparandae praestantiae* amittere non potest, in quo situm est non decus et ornamentum, sed fundamentum ipsum cultus et humanitatis, quin etiam pietatis et religionis nostrae.

Itenim Ecclesia, ut quae et nationes omnes complexu suo contineat, et usque ad consummationem saeculorum sit permansura, et prorsus a sui gubernatione vulgus arceat, sermonem suapte natura requirit universalem, immutabilem, non vulgarem. Huiusmodi cum sit sermo latinus, divinitus provisum est ut is mirifico esset usui Ecclesiae docenti, idemque Christifidelibus doctioribus ex omni gente magnum ministraret vinculum unitatis.

Pius xi, Officiorum omnium

Ubi autem primum Papa Benedictus XVI magna sollicitudine ea tractavit, quae post Concilium Vaticanum II non satis perspicue erant enodata, quod attinet videlicet ad antiquam ritus Romani formam in sacris adhibendam, litteris motu proprio datis, quibus titulus "Summorum Pontificum", plurimi totius orbis iuvenes, renovato impulsu, totis viribus atque conatibus id facere studuerunt, ut res traditas Ecclesiae Romanae, situ fere et pulvere obductas, ab oblivione atque a silentio vindicarent. Permultae sane, inde ab illo tempore, conditae sunt sodalitates antiquo ritui provehendo, quas Ecclesiae magisterium ad optimas virtutis et sapientiae fruges facili negotio perducere poterat. At saepe factum est ut, manca et debili disciplina, talia studia seu cito defervescerent, seu superficie tantum tenus attingerent quaestionem. Nimirum, iuvenilis aetas tali est natura conformata, ut rerum novitate percussa subito accendatur, deficiente vero curiositatis alimonia, mox alias quaerat res ex quibus aliquid oblectamenti percipiat. Et huc pertinet et illud, quod magnum periculum est res sacras tractare prius quam sint bene intellectae, unde fanaticus superstitionis error solet homines subire.

Recte quidem de hac re sentiebant quotquot ex Patribus Ecclesiae gentilium libris uti non sunt dedignati, quin immo, ipsi suadent ut ante iuvenum animi firmis fundamentis informentur indeque confirmentur, quam ad rerum sacrarum studium se convertant. De quo argumento Divus Basilius *ad hanc* [sc. vitam aeternam] *autem -inquit- deducunt sermones sacri, per arcana nos erudientes. Sed, dum per aetatem non licet intelligentiae eorum altitudinem audire et assequi, interim in aliis scriptis non omnino diversis quasi in umbris quibusdam et speculis in antecessum animi intuitu exercemur, eos, qui in militari disciplina exercentur, imitati.* Et porro: *Quemadmodum enim infectores quidquid tingendum est prius curis quibusdam praeparant, et ita demum colorem sive purpureum sive quempiam alium inducunt: eodem modo et nos quoque, si indelebilis in nobis honesti gloria omni tempore permansura est, his externis ante initiati, deinde sacras et arcanas doctrinas ediscemus: et solem velut in aqua videre assueti, sic luci ipsi oculos admovebimus. Quod si mutua quaedam convenientia intersit inter doctrinas, earum nobis cognitio valde utilis fuerit: sin minus, certe earum inter se collatarum discrimen internosse, ad potiolem firmandam non parum contulerit.* (6)

Quae omnia nos vehementer potius ad agendum quam ad manibus compressis spectandum urgere atque impellere videntur. Cum autem infitiari minime possimus artissimam esse rei Christianae necessitudinem cum reliquis cultus et humanitatis

partibus, in plagis praecipue ad occidentem solem vergentibus, necessario fatendum est huius, de quo nunc agimus, argumenti curam non modo Christifideles, sed omnes, qui artibus liberalibus favent, penitus attingere debere. Operam igitur navare accingamur ut veram laudem, quae maxima est in litteris Latinis Graecisque et antiquis et recentioribus posita, ceteris hominibus, et adolescentibus imprimis, bene ac recte ostendamus, quin immo vividis coloribus depingamus. Illi enim, qui rei publicae Christianae gubernacula tractant, longe melius officio suo satisfacere poterunt cum habuerint apud se homines doctos quorum auxilio in instaurandis studiis humanioribus utantur.

Age vero, illuc redeamus unde profecti sumus et, quoniam mox anni L erunt ex quo Ioannes XXIII veterum sapientiam iustissimo testimonio celebravit, nos quoque pro virili parte, secuti maiorum exemplum, permagnam illam hereditatem servemus; nam, ut ait Divus Augustinus, *quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne aspiciamus quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus et doctor suavissimus et martyr beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam? Quanto innumerabiles Graeci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est quod eruditus fuerit omni sapientia Aegyptiorum* (7). Vota igitur audiantur nostra ut haec folia de ramis cadentia non tam sempiternae hiemis quam verna alacritatis sint praenuntia, utque linguae Latinae usus in Universitate Gregoriana renascatur, neve fatis concidat -quemadmodum hisce prorsus diebus facere videtur- sed repuerascat ac perenni aevo vivat Opus Fundatum cui nomen "Latinitas", ut denique floreat semperque vigeat Pontificium Institutum Altioris Latinitatis.

Perplacet Nobis iam in Petri Cathedra eandem hodie adhibere linguam Latinam ut pro viribus cohortemur incitemusque vos ante omnes ad litteras nostras Latinas, tam antiquas quam recentiores, tam saeculares quam sacras, omni cultu ac fervore non tantum adservandas, verum etiam novis rationibus docendas et inter iuniores potissimum propagandas.

Vestrum nempe erit adiuvere Nos ut linguae Latinae consuetudinem in Ecclesia corroboremus atque in ritibus et disciplinis ecclesiasticis inculcemus, ne infiniti eorundem monumentorum thesauri pereant neve huius instrumenti praestantissimi usus evanescat. Aderit semper Latinitatis ubique cultoribus, sicut vobis, favor perpetuus Noster, animus propensus et supernum pariter Dei lumen.

Benedictus xvi, Allocutio ad participes Certaminis Vaticani xxxcviii

Adnotationes

1. Cfr. Ioannis XXIII Constitutio Apostolica cui index "Veterum sapientia", A.A.S. LIV (1962), p. 129-135 (loc. laud. p. 129)
2. Cfr. Pii XI Litterae motu proprio datae quibus index "Latinarum Litterarum" de peculiari litterarum Latinarum Schola in Athenaeo Gregoriano constituenda, A.A.S., vol. XVI (1924), n. 17, p. 417-420; Pauli VI litterae apostolicae motu proprio datae quibus index "Studia Latinitatis" de Pontificio Instituto Altioris Latinitatis Romae condendo, A.A.S. vol. LVI (1964), p. 225-231; ipsius Pauli VI chirographum cui index "Romani sermonis" de Opere Fundato cui nomen "Latinitas" in Civitate Vaticana constituendo, A.A.S. vol. LXVIII (1976), n. 8, p. 481-483.
3. Cfr. Ordinationes ad Constitutionem Apostolicam "Veterum sapientia", A.S.S. vol. LIV (1962), p. 339-368 (loc. laud. p. 349)
4. Lactantii *Divinarum Institutionum* liber I, cap. 1.
5. Ioannis XXIII op. laud., p. 132.
6. Cfr. D. Basilii Magni Πρὸς τοὺς νέους Ὅπως ἂν ἐξ Ἑλληνικῶν ὠφελοῦντο λόγων, curante I. P. Migne in PG 31, 564-589, cap II.
7. Cfr. D. Augustini *De doctrina christiana* liber II, cap. 40.

LIBRORUM EXISTIMATIONES

ab Aloisio Miraglia conscriptae



Henrici Sienkiewiczii *Anthea, sive fabula "Eamus ad Ipsum"* a Petro Angelinio Latine versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus Sacrè, "Pluteus Latinus", Melissa, Bruxellis MMX,

Cum nomen Henrici Sienkiewiczii, quippe qui notissimam illam fabulam, cui index est "Quo vadis?", exaraverit, multis bene innotuerit, admodum paucos nostra quidem aetate quisnam Petrus Angelinius (1847-1911) fuerit compertum habere suspicamur. Hoc vero volumine Angelinii nomen apud eos, qui puram et integram Latinitatem ab omni vitio remotam cordi habeant, ab oblivione, ut par est, vindicabitur, magnumque restituatur in locum. Qui scriptor Pontificius inter alia haud pauca quae Latine ipse composuit, in Romanorum sermonem hanc illius Sienkiewiczii fabulam non ita notam, non tamen hac de causa minus pulchram ad animosque permovendos aptam, tersissima Latinitate donavit. Quam Theodericus Sacrè, inexhaustus thesaurorum pervestigator, qua est mirabili doctrina exquisitoque iudicio, e quibusdam ergastulis, in quibus delitescebat, erutam in medium protulit et luculentissimo instructam commentario in nova librorum serie, quae hoc ipso

opere inauguratur, in lucem edidit. Doctissima et de Petro Angelinio, et de ipso Sienkiewiczio verba praefatus, *de editionibus Anthae Latinis earumque fortuna* disseruit editor; quae fabula veste Latina non semel, sed quater in publicum prodiit, bis vivo interprete, bis vero post eius obitum. Duabus igitur prioribus collatis, Th. Sacrè criticum, quem vocant, textum constituit, quem nobis typis datum proposuit. *Anthae* fata ita tulerunt, ut nonnulli inde incitati Latina poemata pangerent; eius igitur vis haud parva videtur fuisse etiam ad litteras Neolatinas aliquatenus provehendas.

In huius pulcherrimae fabulae textu edendo, curavit doctissimus editor ut in cuiusque paginae calce singularum sententiarum fontes indicarentur, quorum ad obrussam suam Latinitatem comprobavit Angelinius. Patet inde maxima cum diligentia summaque linguae peritia eum omnes interpretatum esse paginas, Ciceronis, quem praeter ceteros ab eo dilectum esse apparet, Sallustii, Caesaris, Quintiliani presse vestigia secutum. Hic praeterea adnotationum apparatus utilissimus magistris procul dubio erit volentibus probatissimas verborum iuncturas iucunde inter sese contextas discipulos docere.

De quanam re fabula agat, id intactum legentibus et integrum relinquimus, ne quid degustandae narrationis dulcedini inepte detrahamus. Addidit autem Theodericus Sacrè in operis appendicibus quaedam, quae eorum, qui Latinam linguam diligunt non excitare studium nequeunt: nam non modo Sienkiewiczii ipsius aliquot Latinas scriptiunculas apposuit, quibus quantum usque ad iniens saeculum XX inter totius Europae viros doctos Romanorum sermo litterariamque illam rem publicam valuerit apparet, verum etiam notissimae illius mythistoriae, cui "Quo vadis?" est index, interpretationem edidit, quam Adalbertus Danczer, Hungarus Latinitatis praeceptor, inter annum MXXI et MXXII in commentariis "Iuventus" incriptis foras dederat. Quamvis talis Latina nobilissimae fabulae interpretatio haud paucis inficiatur

naevulis, neque ullo modo cum Angelinii sermonis integritate certare possit, nihilominus gratissimo nos animo hoc documentum vitalis, ut aiunt, vitae, qua lingua nostra usque ad proximum saeculum fructa est quasi dono accepimus. Petri Angelinii lucidissima carmina necnon oratio, quam in Leopoldi II, Belgarum regis, funere habuit, copiosaeque adnotationes, quibus totus liber illustratur, hoc mirabile opus et maxime laudandum concluditur.



Alessandro Manzoni, *Di liete voglie sante / Mala cosa nascer povero*, curante Henrico Renna, Sparton, Neapoli MMX.

Librorum hoc par elegantissima indutum veste in publicam lucem prodit, volumina illa de Iacobi Leopardi poetae et scriptoris interpretibus secutum, quae Henricus Renna editor ante hosce quattuor annos non minore ornatu venustateque foras danda curaverat. Quibus operibus publici nunc iuris factis, quanti momenti ac ponderis in recentiore Latini Graecique sermonis tradendi historia illa iam pridem in scholis Athenaeisque accepta, nunc vero turpiter neglecta consuetudo non modo scribendi novaeque componendi, verum etiam ex linguis vernaculis singularumque patriarum propriis in antiquas vertendi fuerit, nemo est quin videat. Si enim mos ille singulas sententias aut locos ex orationum contextibus depromptos interpretandi ad linguae elementa discenda usuque memoriae infigenda nonnisi inde ab exeunte saeculo XVIII invalescere coepit et id quidem timidis lentisque gradibus, nihilominus qui bonas litteras liberalesque per hominum aetates artes excoluere, quanti vertendi exercitium ducendum esset cum ad elocutionem genusque dicendi perpoliendum, tum

etiam ad Latine Graeque opera, digna quae posteris traderentur, summa artis peritia vertenda, numquam non perspectum atque exploratum habuerunt. Hisce enim duobus florilegiis (Leopardianum, inquam, atque Manzonianum) interpretationes videmus contineri, quorum auctores non solum temporibus locisque, sed etiam fine sibi praestituto inter sese differunt, immo saepe sunt toto, ut aiunt, caelo diversi. Nam alii eo consilio Leopardiana Manzonianaque carmina prosasve orationes in Latinum aut in Graecum transferenda susceperunt, ut stilum ipsi exercerent aut potius stili exercendi exempla discipulis proponerent; in iis Hieronymus ille Picchioni numeratur, qui in paedagogio Etoniano cum Italicas Latinasque litteras doceret, quantum altera alteri lingua similis esset monstrare voluit idque egregie assecutus est Latine fere verbum reddendo de verbo Hymnum illum quem *ad Patriarchas* Iacobus Leopardi pepigit; hunc vero in numerum referendus est etiam Aemilius ille Springhetti, praeclarum Latinitatis lumen, qui octo fabulae Manzonianae *Sponsi* inscriptae capita Latina civitate donavit, ut paradigma dilucide scribendi alumnis ostenderet qui in Gregoriana Studiorum Universitate litteris operam darent. Nec praetereundi sunt Hugo Henricus Paoli ceterique haud pauci, qui singulas sententias, breves paragraphos, locos denique ex Manzoni opere excerptos Latinissime verterunt, ut quomodo quaedam notiones iuncturaeve quaedam in integrum sermonem Latinum reddi possent exemplis demonstrarent. Quos omnes et singulos diligentissime et curiosissime, qua est ἀκριβεία, collectos et perbene dispositos nobis Henricus Renna hisce voluminibus nuper editis donavit. Quibus vero etiam aliorum continentur interpretum opera, non ea mente exarata, ut docendi proveherentur rationes, sed ad Manzoni nostri carmina apud exterarum gentium Latina veste induta divulganda (quod belle Michael Antonius ille Caro [1843-1909], rei publicae Columbianae quondam praeses faciendum curavit, cum carmen de Napoleontis morte bis in Romanorum sermonem varioque metro convertisset), ad eius iam sublimes paginas curiali aulicoque quodam amictu convestiendas, ad exigendum Manzoniana arti monumentum aere perennius, quod illas mutationes, quas linguae vernaculae temporis diuturnitate subire solent, nequaquam pateretur. Ex iis quidam iam vivo Manzoni suos exanclarunt labores, quos poeta ipse, gratulatoria reddita epistula, videtur probavisse; neque sententiam de difficultate quasdam notiones in Latinum vertendi, quam in una ex epistulis, Benedicto del Bene data, scriptam videmus, ita intellegere

oportet, quasi Manzonius inepta ac nimis artificiosa otiosorum hominum conamina haec opera duxerit; expertus enim ipse sciebat quam difficile, quam arduum esset, quantamque postulare et linguae et poeticae artis peritiam nostra animi sensa, quae saepe a nobis alio modo atque antiqui solebant concipiuntur, verbis versibusque vere Latinis exprimere. Inde in scholis Athenaeisque ad intimam linguae indolem perscrutandam, penetrandam, adipiscendam insudabant discipuli, identidem ea, quae nostris sermonibus cottidianis dicimus, cum scriptorum poetarumque antiquorum vocibus comparantes. Ita, usque ad nostram fere aetatem, qua talia, quasi supervacanea et nugatoria, reiecta, exturbata, exilio multata sunt ab omnibus paene totius orbis ludis litterariis Studiorumque universitatibus, facere perrexerunt Gandinii, Gandiglii, Pighii, aliique quam plurimi, etiamsi nimio interdum unius Ciceronis studio infecti. Quid ipse Manzonius de hoc diutino et interdum molesto, at necessario exercitio senserit, quantique idem fecerit non est, mea quidem sententia, dubitandum; illud unum est verisimile, eum, ut multi alii Luminum sectatores illius aetatis, non immerito inanem illam profluentiam loquendi, inflatumque et tumidum scribendi genus, quod ex rhetorum poetarumque Latinorum scholis provenire solebat, ut a vera vita, a foro, a sole et pulvere alienam damnasse ac vehementer reprehendisse. Hoc tamen non illud sibi vult, eum non probe intellexisse quantam doctrinam quantamque artem posceret elegantes versus componere Latinos. Quin immo ipse non dedignatus est, iam aetate aliquatenus provectus, Latinum *De avibus* scribere carmen; quem postea Stephanus Grosso, ex Somaschorum familia, in Graecum convertit.

Doctissimi illi viri, qui in Latinum Manzonii carmina verterunt, inter se haud raro, et cum aliis eruditissimis totius Europae viris erant necessitudine bonaque consuetudine coniuncti; alii aliis epistulas librosque mittebant, mutuoque studiorum auxilio fruebantur. Unde elucet quantum usque ad XIX saeculum illa litteraria Europaeorum res publica valuerit, quae homines lingua, civitate, saepe etiam religione diversos ita vinculis copulavit, ut ad eandem fere familiam sese pertinere sentirent. Ita, ut ex multis unum exemplum eligam, Iulius ille Capone Neapolitanus cum Antonio Eligio Lemaire Lutetiensi, qui totam seriem scriptorum Latinorum luculentis praefationibus doctissimisque variorum adnotationibus edendam curavit, amicitiam fovit; ut ederetur in Italia carmen, cui index est Ὀδυσσεύς, a P. Bonaventura Giradeau ad tria milia Graecarum radicum discipulis scholarum tradenda concinnatum, operam sedulo dedit; Aloisius Bellò, qui primus carmen de die V Maio, antequam in alias linguas verteretur, Latine reddidit, cum aliis multis et cum Vincentio Monti poeta commercium habuit familiare; alii non pauci certamini illi Hoeffftiano interfuere, unde victores discesserunt: in quibus principem fortasse locum obtinet Franciscus Xaverius ille Reuss (1842-1923), qui ab ineunte saeculo usque ad annum 1925 pluries inde palmam reportavit. Patet ex hisce paginis quanta iactari potuerit tunc temporis gloria Catholica Ecclesia, cum tot tantosque Latinitatis magistros suo in sinu foveret: Somaschi, Iesuitae, Redemptoristae, Clerici regulares Scholarum Piarum, sacerdotes saeculares, quos vocant, magnam habent inter hos interpretes partem. De omnibus et singulis hisce hominibus in doctissima sua praefatione Henricus Renna indicia tradit admodum copiosa; unde nullius lateat nos ortus, vita, opera, laudes. Non pauca etiam de iis variis lectionibus addit, quae in Italicis Manzonii carminibus saepe cum Latinis interpretationibus editis apparent: unde non parvam de textibus constituendis opem haec volumina videntur attulisse; quae praeterea copiosissimis pulcherrimisque imaginibus in appendicibus positae ornantur, quibus non modo ipsa iucundiora exstant et magis decora, verum etiam nobis innumera fere Insubri poetae monumenta et amplissimam εἰκονογραφίαν suppeditant.

SCHOLAE AESTIVAE DE LINGUA LATINA

A die mensis Iunii XXVII usque ad diem XX Augustum, in aedibus *Vivarii novi*, quae sunt Romae collocatae, scholae linguae Latinae habebuntur, quibus ii, qui velint Latine loquendi, legendi scribendique facultatem sibi comparare, a nulla vel paene nulla huius linguae notitia ad legendos scriptores ut Ciceronem, Augustinum, Erasmus variis methodis et rationibus adducentur. Plura de hoc incepto in nostra sede retiali legi possunt.



Institutum Italicum Studii
Philosophiae provehendis



- EUROPA LATINA -



Academia Vivarii novi

ALEA FATI

Omniū gentiū conventus de nostrae aetatis timoribus eradicandis
Romae, a die XV ad diem XXI m. Iulii a. MMXI

Interprete metu, ad deteriora semper hominum animi inclinant: quod Livius dixit, id nostra aetate cottidie experimur. Atrocia enim fata, quasi Damoclis ensis seta equina suspensus, nostris in cervicibus assidue imminere et impendere videntur. Omnia timemus, metuimus, pavescimus: ne opere expertes victum tolerare nequeamus, ne hominum societas civesque, inter quos vitam agimus, nos alios mores colentes ex suis circulis exterminent, ne infesti tromocratae exitiales nobis parent insidias, ne rerum flumen illamque perpetuam instrumentorum accessionem persequi nullo modo valeamus. Inde fit ut hinc nos liberos esse credamus, cum numquam illi metui, qui in nostris dominatur animis non turpiter inserviamus, illinc, omnibus prorsus fundamentis destituti, in incertis vagisque harenis vestigia ponamus, atque in vento vitarum nostrarum libros et in rapida conemur inscribere aqua. Inde enascitur et alitur libido, qua animos ad mores, quae identidem sunt in pretio, accommodare conformareque curiose studemus; inde denique suspensi semper et nobis minime confidentes evadimus.

Hoc igitur omniū gentiū conventu illud explorare conabimur, quid de hisce argumentis senserint maiores; quid Latine Graeceve scripserint nobisque tradiderint iam inde ab antiquis temporibus usque ad praeteritum saeculum qui de vano rerum metu disseruerunt. Quorum opiniones et placita cum iis, quae hac nostra aetate fieri videmus, conferentes, nihil praeter ipsum metum esse timendum fortasse colligemus.

IN PROXIMO FASCICULO:

In honorem Iohannis Pugliese Carratelli

Percontatio et collocutio cum Michaele de Albrecht

De conscribenda Latinarum litterarum recentioris aevi historia

De recta ratione linguae latinae colendae

